

Wzór podwójny grzebieniowy
Martini Opitii Variarum Lectionum Liber ...,
Dantisci ex officina Andreae Hünefeldii, 1637
BJ St. Dr. 19460 I

MARTINI OPITII

VARIARVM LECTIONVM LIBER.

In quo præcipue

SARMATICA.



Cf Temler

DANTISCI

Ex officina Andreæ Hünefeldij.

Bucsn. ep. p. 138.

M. IↃC. XXXVII.



ILLVSTRISSIMO CELSISSIMO
DOMINO. DOMINO

THOMÆ DE ZAMOSCIO

COMITI IN TARNOW
SVPREMO REGNI POL. CANCELLARIO,
GENERALI CRACOVIENSI,
KNYSSYNENSI RABSTINENSI SOKALIENSI PRÆFECTO.

SOlenne ſcriptoribus eſt, neque citra decorum, Domine Celſiſſime, rationem dedicationum ſuarum illis reddere, quibus ingenii ſui monimenta offerre audent. Ego verò cur glorioſiſſimũ Celſitudinis Tuæ nomen paginę huic inſcripſerim, neque publicè & coram omnibus, neque priuatim & apud te, niſi qua parte munuſculi tenuitas excuſanda eſt, cauſſam mihi admodum dicendam exiſtimo. Nam & eorum quæ neminem fugiunt imprudentes eſſe, & literas aut neſcire aut odiſſe oportet eos, qui inter ingentia ſtirpis tuæ auitorumque me-

 ritorum

ritorum ornamenta, patrocinium etiam ſtudiorum & amorem cum ipſa hęredita-te ac quaſi per manus à Parente maximo Tibi tradita vel ignorant, vel diſſimulant. Qui exactiſſimus Heros Regiam autoritatem decusque aſſeruiſſe; Rempublicã virtute armorum, conſiliorum dexteritate ex ſummis identidem difficultatibus expediuiſſe; ſpirantemque vnicè in Regno hoc florentiſſimo libertatem vindicaſſe non contentus, inſtrumenta gloriæ literas inſuper fouit, pacis opus Academiam inter bella exſtruxit, libros inter caſtrorum ſupellectilem habuit, & promerentia æternitatem cum ſcripſit ipſe, tum vt ſcriberentur Scaligeros, Muretos, Lipſios & ſingulares viros alios largitionibus, humanitate, beneuolentia omni pellexit, inuitauit. Tu verò, Domine Illuſtriſſime, paſſibus magnis Æneam Tuum ſecutus, ſplendorem Principalis familiæ

tuæ, famam Patris immortalē, certissimā de naturæ tuæ bonitate & animo, tantarum ad quas natus eras rerum capacissimo, fiduciamqua celeritate, quibus ausibus inter ipsa ætatis initia impleuisti? Spectatum rara quæque, egregia, monstrabilia, denique te digna in regiones extraneas missus, spectaculum ipse pulcherrimū vbiuis gentium edidisti mirificæ ac præclarę indolis tuę, mentesque omnium beneficio virtutum tuarum ad amorem tui ac reuerentiam adeò pertraxisti, vt præstantissima quæque in nóstris temporibus ingenia Amplissimo Nomini Tuo obstricta reddideris & vectigalia. Redonatus tandem Reipublicæ ac tuis, conspirante nō magis cum Fortuna Regio judicio Regnique suffragijs, quam illustribus meritis Tuis, amore Patriæ, defensione libertatis vt dignitates alias, easque eminentissimas, peruasisti: ita ad hanc, cui

dignitas ex te augetur, annuente cœlo, applaudēte Republica, cuius bono natus es, feliciter accesſiſti. Ne quis itaque miretur, libellum hunc meum ad Tuæ potiſsimum Clementiæ aram à me deponi, Domine Celſiſsime, qui cum in eo rerum faſtigio collocatus ſis, vnde mera ſpargentes beneficia radij ſplendoris clariſsimi colluſtrant omnes, fieri non poteſt quin & ſtrictura benigna perueniat ad ſingulos. Sed & ſilentio inuoluenda non eſt comitas illa tua & humanitas, qua me pro affectione aduerſus amantes literarum incredibili, ante hoc quinquennium iam beare ac inter clientes tuos recipere voluiſti. Cogitaui itaque, qua me ratione Celſitudini Tuæ Comitijs, quibus ſua quoque conſilia Numen diuinum adijciat, nunc feruentibus interfuturæ in memoriam benignam reuocarem, &, ne nihil mitterem, animaduerſiones has intra

tot die-

tot dieculas (nam verum fatebor, & sciunt amici) quot annos premere nos scripta nostra Simonidis olim tui Horatius vult, quadam festinandi voluptate congessi ac deproperaui. Argumento tamen placere volui; quia non potui doctrina vel scripti maturitate. Sed & hoc ipsum, mixtis etiam paucis studiorum amœnitatibus alijs, ita percursaui, vt hanc minimã eorum partẽ esse concedam eorum, quæ hoc agentibus dicenda restant. Qui enim opus tanta materia & Sarmatico nomine dignum moliri velit, vniuersum Antiquitatis mare nauiget, Auctores pœnè omnes euoluat, temporum momenta perpendat, migrationes gentium ac confusa sæpè domicilia paullò quam ab alijs factum exactiùs inuestiget, longitudines regionum ac distantias situsque vrbium & oculis & animo metiatur, prisca cum nostris, hæc cum illis componat, judicium

denique & laborem acri studio & vigilantia conjungat necesse est. Tu tamen, vt, siue patriæ caussa, cujus laudi meritò faues, siue studiorum, quæ & successu eximio ipse sectatus es, & benignè semper habes, mansueto, clemẽti tuoque vultu quicquid hoc libelli est suscipias, meisque conatibus præsidio tuo, tua beneuolentia patrocinari pergas, quantum possum oro. Deum verò qui est Maximus toto animo veneror, quemadmodum sopito armorum tumultu, fusis hostibus aut summotis, inuictam hanc Rempublicam beatitudine Pacis & tranquillo rerum statu cælitùs donauit, deinceps hinc etiã Victoriosissimi Clementissimique Regis nostri Maiestatem bono Orbis Christiani florentem diu diuque ac incolumẽ præstet, Inclitorum Procerum & sic Tuis etiam, Domine Illustrissime, factis consilijs, cogitatis euentus publicè priuatimque salutares largiatur, Regni denique Potentissimi Regnis alijs negatæ libertati libertatis perpetuitatẽ adstruat clementer illamque ex voto conseruet. Dantisci, Pr. Cal. Februarias, Ann. M. IↃC. XXXVII.

Clementiæ Celsitudinique Tuæ

semper dicatissimus

MARTINVS OPITIVS.



MARTINI OPITII VARIARVM LECTIONVM LIBER.

CAPVT I.

Sarmatia Græcis & Romanis serò cognita. Orithyiæ Fabula. Item Amazonum. Pontus Euxinus κακόξεινος: ἐχθρόξενος: ἀπόξεινος: ἄξενος: ἀξιοθέατος. Sarmatæ Scythæ olim dicti: Scythiæ magnitudo. Inter Scythicas Sarmaticæ gentes. Ister Scythicus. Sed haud rarò illæ distinguuntur. Bella etiam inuicem gesserunt. Sarmatæ quomodo Scythæ.

SArmaticarum rerum gentiúmque omnis cognitio serò demum ac bellorum necessitate maximè ad Græcos pariter ac Romanos peruenit. Strabo equidem, quem D. Augusti temporibus ac Tiberii claruisse credimus, cum Italiam, Ægyptum, Æthiopiam & longinquas regiones alias peragraverit, quid vltra Germanos & confines iis alios extet, quantumque Basternæ & Sauro-

matæ, ac in vniuerſum qui ſupra Pontum habitant ab Atlantico mari abſint, aut an eò vſque pertingant, facilè dictu non eſſe, lib. VII. ipſe fatetur. Itaque factum ignoratione horum locorum ait, vt Pytheas Maſſilienſis aliique quiduis præter verum commenti ſint. Quibus etiam omiſſis ea ſolum refert, quæ ex veteri ac recenti hiſtoria ſeſe dicit accepiſſe. Orithyiam verò a Borea raptam, ſuperque Pontum ac fontes noctis & veterem Phœbi hortum perlatam, ut ad inſtitutum ſuum facere non autumat: ita vexatiſſimas Amazonum Neptuni, ut Lycophron prodit, ſiue, vt Philoſtratus, Lucanus, Seruius aliique, Martis filiarum hiſtorias iis relinquemus, qui fictis fabulis ſuum & aliorum otium oblectant.

Neque licentia vetuſtatis abuſos hic eſſe nonnullos miramur: Pontus Euxinus quamdiu diuerſum planè nomen ſuſtinuit? Lycophronis in Alexandra verſus eſt:

——— καὶ κακόξεινος κλύδων
Σκύθαισι γείτων. ———

Et male-hoſpitalis fluctus Scythis vicinus. *Hoſtiliter-hoſpitalem* Æſchylus vocat:

Ἐχθρόξενος, inquit, ναύταισι μητρυιὰ νεῶν:

Vt ad illum Lycophronis locum Iſacius Ttzetzes obſeruat. Sophocli ἀπόξεινος eſt, notante ad Dionyſium Periegeten Euſtathio. Nam illud ἄξενος, pro ἀπόξεινος, quod attinet, *Cui non dictus Hylas*? Vt verò ob infeſta latrocinijs littora & portubus orba ſic dictum Plinius lib. VI. Ammianus Marcellinus lib. XXII. Apollonii Scholiaſtes alijque aſſerunt: ita, ne hic quoque fabula deſit, Herculem illa loca purgaſſe, & Axeni nomen in Euxini mutaſſe, idem Ttzetzes eòque doctior Euſtathius nos docent; quorum hic,

hic, Herodotum tamen, ἀξιοθέατον, hoc eſt, *ſpectatu maximè dignum* vocaſſe, adiicit.

Cæterum cur Sarmatæ Scytharum nomine antiquitus vtplurimùm innotuerint, vel inde liquet, quod, auctore Strabone lib. I. notæ verſus Aquilonem gentes, de priſcorum Græcorum ſententia, vno nomine Scythæ vel Nomades, vt Homero, appellatæ fuerunt. Imò Hippocratem, tria vniuerſi climata declarare volentem, ex hac mente Scythiam pro Europa tota, tanquam partem eius maximam, ſumere ex Erotiano ad voces Λιβύῃ, Δήλῳ, Σκυθίῃ diſcimus. Et Herodotus Sarmatiam omnem ſub Scythiæ nomine comprehendit. In iiſdem etiam hiſtorijs, qui Sarmatæ ſunt illis ſcriptoribus, Scythas ſæpiſſimè iſtis eſſe, nullo errore fieri putandum eſt; cum Scythicis gentibus Sarmatæ nullibi non annumerentur. Ita Hippocrates περὶ ἀέρων, ὑδάτων, τόπων, in Europa gentem eſſe Scythicam ait, qui Sauromatæ appellantur. Et Plin. lib. IV. Hiſt. Nat. *Sauromatas*, inquit, *gentes Scytharum Græci appellabant.* Stephanus: Σαρμάται, ἔθνος Σκυθικόν. ἡ χώρα αὐτῶν Σαρματία, καὶ Σαρματικὸν ὄρος. *Sarmatæ gens Scythica: Regio eorum Sarmatia, & Sarmaticus mons.* Idem: Σαυρομάται, Σκυθικὸν ἔθνος. καὶ Σαυρομάτις ἡ γυνὴ, καὶ ἡ χώρα. *Sauromatæ, Scythica gens. Et Sauromatis fœmina, & regio.* Strabo lib. XI. Ἐνδοτέρω δὲ τούτων Σαρμάται, καὶ οὗτοι Σκύθαι. *Citra hos omnes Sarmatæ, qui & ipſi Scythæ.* De Iſtro Virgilius Georg. III

At non qua Scythiæ gentes, Mæoticaque vnda,
Turbidus & torquens flauentes Iſter arenas.

Vbi Seruius P. Danielis & editionis Venetæ: (nam quæ Fabricius de Sarmatis adiecta reliquit, a recentiori manu ſunt.) *Iſter*, inquit, *fluuius Scythiæ, qui & Danubius nominatur.*

Inuenire tamen eſt, vbi apertè diſtinguuntur. Strabo ipſe de Aſiaticis lib. XI. Εἰσπλέοντι δ' ἐν δεξιᾷ μὲν τοῖς Εὐρωπαίοις, οἱ συνεχεῖς Σκύθαι νέμονται, καὶ Σαρμάται. *Cum ad dextram intrò nauigatur, Europæis continui Scythæ habitant, & Sarmatæ.* Florus lib. IV. cap. XII: *Nam & Scythæ miſere legatos, & Sarmatæ, amicitiam petentes.* Inſcriptio vetus in Agro Tiburtino:

MOTVM ORIENTEM SARMATAR COMPRESSIT.

Et paullò poſt:

SCYTHARVM. QVOQVE. REGEM. ACHERONENSI QVAE. EST. VLTRA. BORVSTHENEM. OPSIDIONE (SVMMOTO.

Theodoretus ſerm. VIII. Ἀλλὰ καὶ Πέρσαι καὶ Σκύθαι καὶ Μασσαγέται καὶ Σαυρομάται, καὶ Ἰνδοὶ καὶ Αἰθίοπες. *Sed Perſæ quoque, Scythæ, Maſſagetæ, Sauromatæ, Indi & Æthiopes.*

Sarmatas etiam Scythis bellum intuliſſe, cum alibi tum apud Lucianum in Toxari, & Dionem Chryſoſtomum in Boryſtheniticis legimus, qui grauiſſimus auctor æuo Traiani Imp. a quo triumphali etiam currui aureo ob illuſtre nominis & doctrinæ meritum adhibitus fuit, Boryſthenem ipſe peragratus eſt.

Quare cum inter Scythas Sarmatæ reponuntur, generatim hoc plerumque fit, atque uniuerſè. Quamuis enim magnus ſemper Sarmatarum numerus, magnum nomen fuerit & imperium, Scythiam tamen & alias gentes habitaſſe ac populos, vel hiſtoriarum omnium conſenſus nobis dictat, vel tot terrarum ſpatia oſtendunt, quæ Scythiæ nomine antiquitus longè latèque cenſebantur.

CAPVT. II.

Sauromatæ siue Sarmatæ vnde dicti. Græcorum sententia. Item Stephani Zamosij. Sauromatæ Syrmatæ. Isidori opinio. Sarmatia Asiatica & Europæa. Samatæ pro Sarmatæ, apud Dionysium Periegeten. Asiæ & Europæ fines; ex mente Phil. Cluuerij.

SArmatæ siue Sauromatæ (nam argutari cum Æthico nimium videntur, qui hos Asiæ, illos Europæ gentem constituunt) vnde nomen sortiti sint, & an domesticum ipsis fuerit, an a Græcis acceptum, vix compertum habemus. Græcorum quidem nonnemo illud suis vindicat, qui *Sauromatas* ab oculis lacertorum, quod ex viriditate facies eorum instar lacertarum pallescant, dictos putat. Σαῦρος enim *lacerta*: ὄμμα oculus est. At sic *Saurommatas* potius dicturos fuisse Græcos videri potest. De *Syrmo* autem Tribaliorum rege, de quo Strabo & Arrianus lib. I. quod Steph. Zamosius in libello Analectorum Dacicorum suspicatur, nescio an consistat, cum veteres Græcorum scriptores meminisse Sarmatarum Strabo lib. VII. prodat, Triballorum vero rex ille cum Alexandro demum bellum administrauerit. Interea, *Sauromatas* Tanais fluuij accolas etiam *Syrmatas* vocitatos, non nego. Eudoxus apud Stephanum disertè: Συρμάται, οἱ Σαυρομάται, ὡς Εὔδοξος πρώτῳ, Ποταμὸν τοῦ Ταναΐδος Συρμάτας κατοικεῖν. Vt verò Isidori opinioni nemo accedet, qui: *Sarmatæ*, inquit, *patentibus campis armati inequitabant, priusquam eos Lentulus Danubio prohibuit, atque inde ob studium armorum Sarmatæ nuncupati existimantur*: ita quæ huius argumenti Goropius ex Celticæ suæ linguæ plusquam Cimmerijs tenebris producit, risum non fidem merentur.

Sarmatas quod *Samatas* appellat Dionysius hoc versu:

Γερμάνοι Σαμάται τε, Γέται θ' ἅμα, Βαστάρναι τε,

Germani, Samatæque simul, Bastarnæque;

per omissionem τοῦ ρ facit; vt & alibi Τέγεστρον pro Τέργεστρον dicere sibi permisit, more vix imitando: nisi quod ipse Homerus Κράπαθον etiam II. Iliad. vocat per similem μετάθεσιν insulam inter Rhodum & Cretam, quæ Κάρπαθος dicitur. Quantum tamen hic liceat, Plinium Iuniorem feramus iudicem, cuius verba lib. VIII. epist. IV. ad Caninium, bellum Traiani aduersus Dacos scribere parantem, hæc sunt: *Nonnullus & in illo labor, vt barbara & fera nomina, imprimis regis ipsius* (Decebali) *Græcis versibus non resultent. Sed nihil est quod non arte curaque, si non potest vinci, mitigetur. Præterea, si datur Homero & mollia vocabula & Græca ad lenitatem versus contrahere, extendere, inflectere: cur tibi similis audentia, præsertim non delicata, sed necessaria, negetur?* Sed de his mihi iam non lis est.

Cæterum Asiaticam Sarmatiam alteram, alteram Europæam vocitatam, adeò notum est & peruulgatum apud omnes, vt hac de re ne quidem amplius inquirendum sit. De vero autem Europæ atque Asiæ, qui & Sarmatas vtrosque distinxit, termino, de quo tam variæ veterum extant opiniones ac sententiæ, magno studio Phil. Cluuerius, æternum Gedani sui decus, lib. I. Germ. Antiquæ cap. I. postquam disseruit, & auctorum idoneos cum explorata longitudine locorum ac distantia composuit, hos tandem limites illis (nam verba ipsius adscribere non piget) constituit: *Verum nunc*, ait, *certumque terminum* (Asiæ & Europæ) *vti habeas, statue, post mare Ægeum, Propontidem, atque Pontum Euxinum, paludemque Mæotin, primum Tanais fluenta,*

donec aduerso amne ad flexum eius, opidumque Tuia *peruenias; qua Volgæ fluminis dextræ ripæ appropinquat. Inde transuersum iugum, quod, inter vtrumque flumen ex Septemtrionibus in meridiem protensum, vulgari vocabulo dicitur* Perowlok. *à Volgæ læua ripa Rhymnicos montes, ad opida* Weliki Tumen & Leptin, *proximamque Obij fluminis ripam. Hinc ipsum flumen Obium, ad Oceanum vsque, & promontorium Lytarmin. Atque hic tandem terminus terrarum situi, quem nunc satis cognitum habemus, quam maximè congruit: idemque veterum descriptioni quam proximè respondet: Omne quippe Sarmaticum litus, ipsaque tota Sarmatia, hoc limite Europæ suæ redduntur. Hoc etiam modo omnis Hyperboreorum, vltra Riphæos, siue Hyperboreos montes, regio in vna consistit Europa; vti veterum quidam voluere, teste Plinio: quibus terminus haud dubiè Europæ Obius fuit amnis. Hoc item pacto Tanais Europæ Asiæque erit ex parte limes. Hac denique ratione omnis Russia maior, quam alio nomine vocant Moscouiam, in vna continetur Europa: cuius maiorem partem hactenus per dictam lineam, à Tanais fonte ad sinum Album ductam, in Asia, ex erronea Ptolemæi opinione, statuerunt nostri sæculi Geographi.* Hoc Catone si quis non est contentus, viri de his studijs præclarè meriti rationes potius expendat, quam à nobis alias exigat, qui & Aduersaria, hoc est, amœnitates saltem literarum & oblectamenta ingenij nunc damus, & culpam, si qua est, alienam præstare non debemus.

CAPVT III.

Varia Sarmatarum nomina & genera. Alani Sarmatæ. Chuni. Amaxobij Sarmatæ. Iazabatæ. Iaxamatæ. Iazyges Sarmatæ. Iornandis locus firmatus. Iazyges Metanastæ.

stæ. Mastor Iazyx. Pathissus fluuius, Parthiscus, Tibiscus, Tissus, Titza, Tizaha, Tyse. Hepidannus correctus. Limigantes Sarmatæ. Lupiones Sarmatæ. Roxolani Sarmatæ. Saconæ Sarmatæ. Tabula Itineraria emendata. Suani Sarmatæ. Vagi Sarmatæ. Venedi Sarmatæ.

SArmatarum vt diuersæ olim ex origine vltima sedes; ita *vna gens, aliquot populi, & aliquot nomina*, vt Melæ verbis vtar. Nos ex illis præter varios Europeæ Sarmatiæ incolas quos Ptolemæus recenset, nonnulla passim aliàs quoque extantia, minus tamen curiosè, apponemus.

ALANI SARMATÆ. Marcianus Heracleotes: τὸ τῶν Ἀλανῶν Σαρματῶν ἔθνος. Atque hos circa Alanum montem & vicina illi loca coluisse, ac Borysthenis fontem illic exoriri idem auctor est. Itaque qui eos in parte Lithuaniæ constituunt, errare minus videntur. Addit statim Marcianus: τὴν δὲ περὶ τὸν Βορυσθένην χώραν παροικοῦσι μετὰ τοὺς Ἀλανοὺς οἱ καλούμενοι Χοανοὶ, οἱ ἐν τῇ Εὐρώπῃ. *Regionem verò ad Borysthenem iuxta Alanos habitant* Choani *vocati, qui in Europa.* Hos Ptolomæi CHVNOS esse vix dubitem. De *Alanis* vero, qui *Alauni Scythæ* eidem Ptolemæo; ἀλκήεντες Ἀλανοὶ, *fortes Alani*, Dionysio Periegetæ; *ardentes*, Val. Flacco sunt; Ammian. Marcell. lib. XXXI. *Ibi partiti per vtramque mundi partem Alani (quorum gentes varias nunc recensere non refert) licet dirempti spatijs longis, per pagos, vt Nomades, vagantur immensos: æui tamen progressu ad vnum concessere vocabulum, & summatim omnes Alani cognominantur.* A monte Alano dictos Eustathius ait; quod & innuit Ammianus. Quam latè autem vnà cum alijs Alani Romanorum sese prouincijs, labantibus Imperij rebus, postea infuderint, & quo-

& quouſque fines ſuos cum fortuna protulerint, vbiuis obuium eſt.

AMAXOBII SARMATÆ; chartæ Prouinciali ſiue Tabulæ Itinerariæ Peutingeri; HAMAXOBII Ptolemæo, & inter Sarmatiæ gentes maximas. HAMAXOBITÆ Pomponio Melę, qui nominis rationem addit, & ſedem eorum deſignat: *Ab eis* (Arimaſpis) *Eſſedones vſque ad Mæotida. Huius flexum Buges amnis ſecat; Agathyrſi & Sauromatæ ambiunt. Quia pro ſedibus* (malim *ædibus*) *plauſtra habent, dicti Hamaxobitæ.* Vbi *Buges*, qui & Plinio pars Mæotidis dicitur, idem videtur qui Ptolemæo *Bycus*; ac Melæ quoque Codices quoſdam *Byces* ac *Byges* legere Abr. Ortelius innuit. Alij quoque paſſim de hoc Sarmatarum genere, quæ non conquiro. Ab eius in plauſtris viuendi conſuetudine Prouerbium Scriptori grauiſſimo Tertulliano natum eſt, lib. I. aduerſus Marcionem: *Sed nihil tam barbarum ac triſte apud Pontum, quam quod illic Marcion natus eſt; Scytha tetrior, Hamaxobio inſtabilior, Maſſageta inhumanior, Amazonia audacior.*

IAZABATÆ. Stephanus: Ἰαζαβάται, ἔθνος παρὰ Μαιῶτιν, οὓς Σαυρομάτας φησὶν Ἔφορος. *Iazabatæ gens iuxta Mæotin, quos Sauromatas vocat Ephorus.* Et hi ſunt forſitan IAXAMATÆ, quos ad eandem paludem in Sarmatia Aſiatica collocat Ptolemæus. Ammian. Marcellinus: *circa hæc ſtagna vltima extimaque plures habitant gentes, ſermonum inſtitutorumque varietate diſpariles: Iaxamatæ, & Mæotæ & Iazyges, Roxolanique, & Alani, & Melanchlænæ, & cum Gelonis Agathyrſi.*

IAZYGES SARMATÆ. Tacit. XII. Annal: *Eques e Sarmatis Iazygibus erat.* Arrian. de exped. Alexandri,

dri, lib. I. ὧν τελευταίους, Κουάδους καὶ Μαρκομάνους. ἔπὶ δὲ Σαυροματῶν μοῖραν, Ἰάζυγας. *Harum nationum extremi ſunt Quadi & Marcomanni, deinde Iazyges, Sauromatarum pars.* Inter Iſtrum & Boryſthenem eos ponit Strabo lib. VII. Idem ex Ouidio patet lib. I. de Ponto, Eleg. III.

Non vacat, in qua ſint poſiti regione Tomitæ,
Quærere, finitimo vix loca nota Getæ:
Aut quid Sauromatæ faciant, quid Iazyges acres.

Falſò autem apud Iornandem de rebus Geticis ante editum erat: *Ab oriente Roxolani, ab occaſu Tamazites, à ſeptentrione Sarmatæ & Baſtarnæ, à meridie amnis Danubij fluenta terminant. Tamazites à Roxolanis alueo tantum fluuij ſegregantur.* Vbi MS. liber, cuius copiam Clariſſimi Puteani Fratres, lucida doctrinæ ſidera, mihi Lutetiæ fecerunt: *Ab occaſu Iaziges, à ſeptentrione Sarmatæ & Baſternæ, à meridie amnis Danubij terminant. Nam Aziges ab Araſolani ſaluta tantum fluuia ſegregantur.* Neque diuerſum hinc abit liber Rhedigerianus, notæ non peſſimæ. Vnde, *Nam Iaziges ab Aroxalanis Aluta tantum fluuio ſegregantur*; legendum eſſe, ex Palatinis etiam Codicibus obſeruat Gruterus. Itaque *Tamazites* populos ex Ortelij Theſauro &, qui eum exſcribere ſolent, Manuciorum fratrum de Tranſſiluania libello, audacter tolle. Cum verò Coloniam Iazyges mutaſſent, ijſque ſibi in locis quæ Danubio ac Tibiſco fluuijs, & Sarmaticis montibus Germaniam verſus includuntur, vt ex Ptolemæo videre eſt, ſedes quæſiuiſſent, *Iazyges Metanaſtæ,* hoc eſt, *Vagi* ac *Migratores* dicti ſunt. Gloſſarium vetus: Μεταναστεύω, *Demigro.* Μετανάστης, *Transfuga, Migrator.* Ex hac gente porrò, vt ex Dione Caſſio diſcimus, Maſtor ille fuit, Adriano à venationibus, à quo, vltimo vi-

mo vitæ tœdio affectus, gladio se transfigi voluit Imperator, Mastore tamen fugiente. Quorum verò regionem Iazyges occupauerint, Plin. lib. IV. cap. XII. docet: *Superiora autem inter Danubium & Hercynium saltum, vsque ad Pannonica hiberna Carnunti, Germanorumque ibi confinium, campos & plana Iazyges Sarmatæ; montes verò & saltus, pulsi ab his, Daci ad Pathissum amnem, à Maro, siue is Duria est, à Sueuis regnoque Vanniano dirimens eos.* *Pathissus* amnis, *Parthiscus* Ammiano Marcellino lib. XVII. est, Ptolemæo alijsque *Tibiscus*. *Tissum* (ad hodiernum nominis flexum, die Teysse) Theophilactus Simocata, *Titzam* Constantinus Porphyrogenneta, *Tizan* auctor Annalium Francicorum, Cunradus à Lichtenauu *Tizaham* vocant. Tanhuserus, quem Marq. Freherus ad Ausonij Mosellam citat:

So flusset dur der Vngerlant
Der Wag vnd ouch diu Tyse.
Brage by der Woltach lit,
Als Wiene an der Tuonouue.

Hinc emendandus est Hepidannus S. Galli Cœnobita ad Ann. M.XXXVI. Annalium: *Imperator verò Vngariam inuasit, eamque citima parte circa Tiscam fluuium deuastauit.* Nam *Fiscam* exhibet editio V. Ampl. Melchioris Goldasti, amici mei.

LIMIGANTES SARMATÆ. Ijdem qui Iazyges. Ammian. lib. XVII. *His, vt narratum est, secundo finitis euentu, ad Limigantes Sarmatas seruos ocius signa transferri vtilitas publica flagitabat.* Et statim: *Locorum confisi præsidio, vbi lares, post exactos inde dominos, fixere securi. Has enim terras Parthiscus irruens obliquatis meatibus Istro miscetur.* Dominos à Limigantibus exactos Arcaragantas vocat Eusebius

ſebius Pamphilus ad Ann. M M CCCL : *Sarmatæ Limigantes dominos ſuos, qui nunc* Arcaragantes *vocantur, facta manu in Romanum ſolum expulerunt*. Prolixius de ijſdem Limigantibus agit idem Marcellin lib. XIX. vbi quendam illorum, Imp. Conſtantio in ſuggeſtu leniſſimum ad eos ſermonem parante, calceo in tribunal contorto, *marrha, marrha*, quod ſignum apud eos bellicum eſſet, exclamaſſe indicat.

LVPIONES SARMATÆ. Hos ſola exhibet Tabula Peutingeri; vbi Venedis, de quibus mox, proximè adſcribuntur. Vnde nullos eſſe alios exiſtimat Phil. Cluuerius lib. III. Germ. cap. IV quam qui hodieque Finnis contermini, Ruſſis *Loppi*; Suedis, Danis ac Noruagijs *Lapper*; cæteris Germanis *Lappen* dicuntur : cum nunc adhuc genus eorum è Sarmatis, id eſt, Slauis atque Germanis miſtum ſit. Sed quia Tabula illa, inſigne aliàs Antiquitatis monimentum, haud rarò corrupta eſt, vocabulum LVPIONES ſatis integrum eſſe, aſſeuerare vix auſim.

ROXOLANI SARMATÆ; Tabula Itineraria. Ptolemæus etiam maximis Sarmatiæ populis inſerit. Tacit. I. Hiſt: *Eò audentius Rhoxolani, Sarmatica gens, priore hieme cæſis duabus cohortibus, magna ſpe ad Mœſiam irruperant*. Inſcriptio vetus:

REGIBVS. BASTARNARVM. ET RHOXOLANORVM. FILIOS. DACORVM. FRATRVM CAPTOS. AVT. HOSTIBVS. EREPTOS. REMISIT.

Cis Tanaim & propè Boryſthenem eos collocare videtur Tabula; neque diuerſus abit Ammian. lib. XXII. Itaque *Ruſſos* noſtros inde nomen trahere vero non abſimile eſt.

SASONÆ SARMATÆ. Tab. Itineraria. *Saſones*

ſones inter Scythiæ Aſiaticæ populos recenſet Ptolemæus; quos in Germaniam olim ſeſe penetraſſe, & Saxones illic dictos, eorum qui libenter ex alto omnia repetunt commentum eſt. *Saſonæ* verò Tabulæ qui ſint, neſcio: puto tamen *Saconæ* legendum, qui apud Ptolemæum inter Sarmatas Aſiaticos reperiuntur.

SVANI SARMATÆ; Tab. Itineraria. Ptolemæus in Sarmatia Aſiatica: Καὶ μεταξὺ μὲν τῶν Ἱππικῶν ὀρῶν καὶ τῶν Κεραυνίων ὀρέων, ΣΟΥΑΝΟΙ. *Et inter Hippicos montes & Ceraunios* SVANI. Ac his quidem *Saconas* conterminos facit: vt *Saſonas* Tabula. Quare *Saconas*, ut iam monui, & illuc reponi debere, minus dubitandum eſt.

VAGI SARMATÆ, Tab. Itineraria. Et eoſdem intelligit, qui Græcis *Metanaſtæ*, de quibus ſupra. *Vagi* verò dicti ſunt, quod relictis ſedibus priſtinis ad Tibiſcum fluuium & Daciæ fines Germaniam verſus ac Pannoniam conſederunt. De his intelligendus eſt Geographus Græcus, Conſtantii & Conſtantis IMPP. æui ſcriptor, à V. C. Iac. Gothofredo editus: Ἡ προσκειμένη πέραν ποταμὸν Δαννούβιον, ἔθνος τῶν βαρβάρων Σαρματῶν ἐστι. *Quæ adiacet trans flumen Dannuuium, gens barbarorum Sarmatum eſt.*

VENEDI SARMATÆ. Ita in Tabula Prouinciali, quæ *Venadi* exhibet, legendum. Plin. lib. IV. cap. XIII: *Quidam hæc habitari ad Viſtulam vſque fluuium, à Sarmatis Venedis, Scyris, Hirris, tradunt.* Ptolemæus: Κατέχει δὲ τὴν Σαρματίαν ἔθνη μέγιστα. Οἵτε Οὐενέδαι, παρ' ὅλον τὸν Οὐενεδικὸν κόλπον. *Incolunt Sarmatiam gentes maximæ. Venedæ, per totum Venedicum ſinum.* *Henetos* vocat Scylax Caryandæus Auctor antiquiſſimus. Germanis eos adſcribat an Sarmatis, dubitat Tacitus. Sed argumentis in vtramque partem ad-

 ductis,

ductis, Venedorum gentem omninò Sarmaticam esse, accuratissimè lib. III. Germ. cap. XLIV. ostendit dict⁹ aliquoties ac dicendus Cluuerius. Accoluisse autem per Livoniam Prussiamque & sinus Codani littus, tum Plinij ac Ptolemæi auctoritate adductus tum ideò asserit, quod Venedorum nomē etiam nunc in Liuonia pluribus locis durat; cum & opidum in medio eius sit ad Treideram flumē vulgari vocabulo *Wenden*, & in ea parte, quæ Curia dicitur, amnis cum opido *Windavv*, & alius ad eundem amnem locus *Vschevvende*.

Hæc de gentibus ijs, quibus Sarmatarum nomen apertius adiectum est.

CAP. IV.

Daci & Getæ diuersa à Sarmatis gens: Illi Thraces: Sarmiz Dacica metropolis non Sarmatica: Vetus Inscriptio emendata.

Asseruimus nomina Sarmatica: & domesticis honoribus adeò inuicta gens fulget, vt laudis alienæ non sit indiga. Sunt tamen, qui Dacos eandem cum illis gentem faciunt & Getas; maiori adhuc errore quam illi, inter quos magni viri, qui Gothos & Getas, ducti tum nominum affinitate, tum migratione Gothorum in Daciam, (nam & Daci Getæ sunt) vt plurimum confundunt. Cum istis post aliorum etiam industriam in Daciæ Antiquæ libris, nisi vis maior intercedet, fusius mihi res erit: illorum argumenta paucis inspiciemus. Sarmatis & Getis vnam fuisse & eandem linguam aiunt, auctore ingeniosissimo Poëtarum, lib. IV. Trist. El. XIII.

Ipse mihi videor iam dedidicisse Latinè;
Nam didici Geticè Sarmaticèque loqui.

Sed

Sed qui se duas linguas refert didicisse, plus quam vnam didicit: neque se Ibericum sermonem hodiernum & Hispanicum quasi diuersos, aut Francicum & Gallicum tenere seriò nostrum aliquis dixerit. Contermini tamen Sarmatarum *Daci & Rhoxolanorum Fratres*, vt Inscriptio Tiburtina loquitur, fuerunt. At neque eosdem facit vicinitas; neque vnius gentis sunt qui Fratres dicuntur. Heduos Fratres Consanguineosque Senatus, Batauos Amicos & Fratres Pop. Romani, & talia, quis nescit? Iam Thraciæ gentem fuisse Getas, cuiuis etiam leuiter tincto literis, ex Herodoto, Strabone, Dione Cassio & auctorum optimis, notum est. At hoc de Sarmatis nemo affirmauerit. Tandem quod Lazius in libris de Rep. Rom. colonias Sarmaticas in Daciam ex marmoribus vetustis adducit, aut fallor, aut valdè illa corrupta sunt. Clausenburgi Transsiluanorum hanc extare inscriptionem ait, quæ & in Opere Iani Gruteri, clarissimæ memoriæ viri & paternæ, dum viuebat, erga me affectionis, pag. CCCCXIV. comparet:

P. FVRIO SATVRNINO
LEGATO AVGVSTALI
PRAEPOSITOQ. CONSVLARI
COLONIAE. DACIAE. SAR
MATICAE
L. D. D. D.

At quàm corrupta sit, altera illa eiusdem in Opere Augusto paginæ ex Sigleri schedis, ostendit; quam ego, qui accuratè illam Albæ Iuliæ inspexi, ita excepi:

P. FVRIO
SATVRNINO
LEG. AVG. PR. P. PROCOS

COL.

COL. DAC. SARMIZ
PRAESIDI
DIGNISSIMO

Si quid autem iudicare possum, idem hoc cum priori Epigramma est, & Claudiopoli, quæ Ptolemæo ac Tab. Itinerariæ *Napuca*, in *Coloniam Apulensem*, (ea enim Alba Iulia est) vti accidere solet, translatum. *Sarmiz* verò Daciæ est metropolis illa, quæ Codici Iustiniani tit. de Censibus, Xiphilino ex Dione, Ptolemæo, Saxis, nummisque veteribus SARMIZÆGETHVSA, vel VLPIA. TRAIANA. AVGVSTA. DACICA. SARMIZ. Haud raro autem Lazium exscriptorum incuria lusum fuisse, mihi extra controuersiam est. Insignem imprimis mendam ex alio etiam Daciæ marmore profert, in quo cum DAC. COLONIARVM, hoc est, *Dacicarum Coloniarum*, extiterat, DARCOLOMARVM legit, indeque nescio quos DARCOLOMAS, ab Ortelio in Thesaurum pariter Geographicum & Antiquæ Daciæ Tabulam, tanquam singularem quandam gentem, receptos, effinxit.

CAPVT V.

Inscriptiones quædam Veteres publicantur.

SVstuli errata bellæ Inscriptionis: nunc paucas, & aliquarum fragmenta saltem, dabo. Priores sex, nondum, vt puto, editas communicauit mecum Franconofurti ad Mœnum haud ita diu Henricus van der Borcht insignis pictor & Antiquitatis amantissimus. Septimam ex Schedis Nobilissimi Viri Abrahami Bibrani; Octauam & Nonam in munimento, quod vocant, veteri propè molem Drusi Moguntiaci excerpsi: fragmenta reliqua-

quarum ex aduerso vrbi ad Mœni amnis ostium, vbi inter magnæ antiquitùs, vt videbatur, molis rudera nuper effodiebantur.

1. *Coloniæ Agrippinæ.*

C. DECCIVS. L. F.
PAPIRIA. TICINI
MILES. LEG. XX.
PEQVARIVS ANNOR
XXXV. STIPENDIORV
XVI. HIC. S. EST

2. *Ibidem.*

A
ORINA
MATER SEVERINO
FILIO INCOM
PARABILI
VI VIXIT ANNO
VIIII ET SIBI VIV
FECIT

3. *Ibidem.*

M. SVLPICIVS
P. F. FAB. TRIB
MIL. LEG. XXII
ANNOR. XXXIII
STIP. XVII
H. S. E.

4. *Dusseldorpi.*

ATILIVS . . M.
PRIMICINIA MANCILIA AN II
M. METILIVS. P. F. MANCILIVS
VETERANVS. EX. LEG. XXII
HIC SITI SVNT

5. *Dusseldorpi.*

D O M
M. CARVS
LEGAT
AVGVST

6. *Wormatiæ in aula Episcopali.*

C. VIBIVS
C. F. VOLT
VIRILLIO
EX LEG. XV
ANN XLV
STIP XX
H. S. P.

7.

D M
CAECILII. MATVRI. 7.
FRVM. LEG. VII. GIM
QVI VIXIT. ANN. XXXVI
ME. VII. DIES. V. AEL.
COGITATA MATER
CAECILIVS DEXTER
ET ARTINIAS. FRATRES
C ET

8.

D M
T. VLP IVLIANI
EX PRO
VIN-

ET. VAL. LVP.
VXOR. EREDES
EX TESTAMENTO
FECERVNT

9.

Seruus equum Eques.
freno tenens.

D. M.
TITO. STATILIO. TAVRO
PRAEF. FABRORVM
PRAEF. COH. I. AVG. ITVRE
OR. ET. VI. THRACVM. TRIB
MIL. LEG. XXII. PR P. VIXIT
AN. XXXVI. STATILIVS. FOR
TVNATVS. LIB. F C

11 I O M Ǝ IVNO
NI REGINE
CL QVART
IVS : : : :
EX VOTO P:
VO P. P. R.
: : : : EX
ICA . C.
V. S. L. L. M

VINCIA PONTO
BITHYNIA. DO
MI .. .. TIO ER
VI FRATRES
AN. XXXV.
RYSOGON
LIB. F. C.

10.

Seruus. Eques.

TOGITIO SO
ƎIMARI FIL: N

12

P. SOL : :
P. F. VOL: SV
AVIS V IANA
MIL. LEG. XXII.
PRIMAN
XXXXVII. ST

13.

T. IAVENNIVS
C.F. :OL. PROC
VLVS. FAVENTIA
LEG XXII PRI :
: ANN.XLV. STIP

CAPVT V.

Montes aliquot Sarmatiæ. Carpates. Mons Dacorum. Statij locus expositus. Hypanis. Æthicus aliquoties correctus. Hippolai promontorium. Rupes Sarmaticæ, Solitudines Sarmatarum, Scytharum.

Qui

QVi scriptionis hoc genus, eiusque & modum & otiosum laborem norunt, apud eos non laudatus quidem (nam & laureolam in mustaceo non quæro) excusatus tamen hic libellus erit Inscriptione ipsa, quæ nihil serium, nihil exactum, nihil maioris operæ ac spiritus promittit. Velis, nolis; sacra hæc aliter non constant. Nunc montium nonnullos & saltus Sarmaticos aspiciemus, eminus quasi leuique oculo, & vt solent ad alia festinantes.

CARPATES MONS. Hunc Ptolemæus à Sarmaticis montibus distinguit, & iugum illud haud dubiè hic intelligit, quod *Krapak* hodie, & Germanis inter Tyræ ac Tibisci fontes *Kaltperg* dicitur, ac Transsiluaniam & Hungariam superiorem à Polonia submouet. Rara eius apud alios auctores mentio: nam licet præcipui nominis vir Statij versu illo III. Siluar. in Lachrimis Hetrusci,

Quæque suum Dacis donat clementia montem,

& altero I. Thebaidos;

Et coniurato deiectos vertice Dacos,

Carpatem intelligi debere suspicetur, tamen Ptolemæus non eum Daciæ montem, sed limitem saltem facit, quo à Sarmatia distinguatur. Rectè aliàs I. Siluar. in Equo Domitiani, illud

——— *domus ardua Daci,*

de regia Dacorum illi sumitur, cum superato ex Mæsiæ littore Danubio per iuga editissima & rupes signa sua Romani Daciæ intulerint; de qua re alibi locus mihi sepositus est.

HYPANIS. Inter montes recensetur ab Æthico. Vtrum itaque ad Hypanim flumen aut eius caput iugum aliquod sit, vnde montem suum auctor & fidei non vsque

ſpectatæ, & æui culpa corruptus identidem, tueri poſſit, viderint qui locorum gnari ſunt. Liber manuſcriptus meus, HIPHANIM, exhibet: ſed notæ melioris eum eſſe, non dico. Specimen tamen eorum, quibus ab editione vulgata differt, obiter hic addam. Statim in initio: *Subiugatum virtute ſua orbem totum qua terra protenditur, proprio limite ſignauerunt.* Scriptura vetus: *ſubiugato virtute ſua orbe, totum qua terra protenditur proprio limite ſignauerunt.* Et mox pro, *quam vicerant*, charta mea, *quà vicerant.* De Oceano Orientali: *Mare Caſpium* * Scripta lectio: *Mare Caſpium minus.* Iterum: *Mare Aſphaltones.* MS: *Mare Aſpaltes.* Et: *Mare Myrtoum* * Liber vetus: *Mare mortuum* De Oceani Orientalis montibus: *Caumeſtes.* Meus: *Camneſtres.* Et alia ad hanc faciem: idem puluis. Cœterum nomen Æthici non præfert; Coſmographiæ titulum ſaltem oſtentat, additis verbis; *ſine hoc libro prudentium eſſe neminem poſſe.*

HIPPOLAI PROMONTORIVM. *Hippoleon* habet Herodotus. At Dio Chryſoſtomus in Boryſthenitica: Οὐ πολὺ ἄνοθεν τῆς Ἱππολάου καλουμένης ἄκρας. *Non multum ſupra Hippolai cognominatum promontorium.* Conſtituitur ab ambobus inter Hypanis amnis & Boryſthenis oſtia, ex aduerſo vrbi Boryſtheni; ad lacum haud dubiè, qui albi nomine nunc ſignatur.

RVPES SARMATICÆ. Solinus cap. XX. edit. Salmas: *Extenditur* (Germaniæ) *inter Hercynium ſaltum & rupes Sarmatarum. Vbi incipit, Danubio; vbi deſinit, Rheno perfunditur.* Iornandes de rebus Geticis: *Hæc à fronte poſita eſt Viſtulæ fluuij, qui Sarmaticis montibus ortus.* Hinc intelligi poteſt, Sarmaticas rupes à Iazygibus Sarmatis dictas eſſe,

esse, qui finitimam versus Occidentem Germaniam habuerunt, inter quam & ipsorum sedes iugum continuum à Vistulæ fonte versus Danubium per Vngariam superiorem procurrit. Non alij etiam sunt SARMATICI MONTES, quos in Germaniæ magnæ situ describunt Ptolemæus & Marcianus Heracleota.

SOLITVDINES SARMATARVM. Inter Sarmatas & Amaxobios reponit Tabula Itineraria. Sed ex metatoria hac charta, quæ ex Geographicis legibus nihil trahit, certa locorum interualla nequicquam sciscitamur. Quod verò eadem tabula inter Istri Sarmatiæ proximum ostium & aliud flumen, quo designari Tyran puto, SORS DESERTVS, exhibet, vocabulum illud SORS quidem corruptum est: potest tamen illa *Getarum solitudo* designari, de quo Strabo lib. VII: Μεταξὺ δὲ τῆς Ποντικῆς θαλάττης τῆς ἀπὸ τοῦ Ἴστρου ἐπὶ Τύραν, καὶ ἡ τῶν Γετῶν ἐρημία πρόκειται πεδιὰς πᾶσα, καὶ ἄνυδρος. *Inter mare Ponticum ab Istro Tyran versus Getarum iacet solitudo, campestris tota & aqua carens.* Non verò trahendæ huc *solitudines* illæ *Scythiæ, Asiaticæ*, de quibus apud Q. Curtium lib. VII. *Scytharum solitudines Græcis etiam prouerbijs audio eludi.* Et extat hoc Adagium apud Mich. Apostolium ac in Appendice Prouerbiorum Vaticana, ex Aristophanis Acarnensibus depromptum, vt annotat V. C. & de omni antiquitate benemerentissimus A. Schottus.

CAPVT VI.

De Oceano Sarmatiæ & quibusdam fluminibus. Oceanus Sarmaticus priscis pro remotissimo. Amazones Sauromatides. Tanais duplex. Borysthenes. Eius fontes. Accolæ Borysthenis Alani. Borysthenes Adriani Imp. Equus.

quus. In eum Epigramma vetus: item in Catellam. Hypanis; idem Axiacus. Ille duplex. Sandaracha ad Hypanim; item Arsenicum. Dioscoridi lux. Lacus Salinarum. Vistula, Viscla; vnde Vandalus hic amnis dictus. Tabula Peutingeri emendata. Eridanus. Apulus.

DE fluminibus Sarmatiæ satis illi, qui de ipsa: nos tamen, ne nihil agamus, ad pauca eorum vel cum Ausonij Theone littus arabimus, vel conchas legemus cum Claudio.

SARMATICVS OCEANVS. Apollonij Scholiastes: Ὑπὲρ δὲ τοὺς Σαρμάτας ὁ Σαρματικὸς ἐστὶ καὶ Ἀρκτικὸς ὠκεανός. *Supra Sarmatas verò Sarmaticus est & Arcticus Oceanus.* Per hunc ingens ille tractus ab Asiæ confinio vsque ad mare Album inter Russiam Lappiamque, vt Cluuerius lib. III. Germ. cap. XXXVI. vult, intelligendus est. Nihil verò remotius vetustati videbatur. Juuenal. Sat. II:

Vltra Sauromatas fugere hinc libet, & glacialem Oceanum.

Vbi Interpres: *Sarmatæ* vltimi vltra Pontum sunt, vicini *Amazonum*, vnde *Sauromatides* appellantur; vt quidem V. Ampl. Ianus Rutgersius lib. I. cap. IV. Var. Lect. legendum censet. Ejiciunt se in illum maximè CHESINVS, *Lovvat* Russis & post *Welchovv*; TVRVNTVS, vulgò *Welickarzeka* & *Nerua* lacum Czudzko transuectus; RVBON, *Dzvvina* nostris; CHRONVS, nunc *Mæmel*; de quibus Ptolemæus.

Inter ea quæ in Mæotidem paludem sese exonerant flumina, præcipuæ notæ TANAIS amnis est, qui nomen pristinum quadamtenus adhuc retinet, DON dictus; ad quem antiqua Sarmatarum sedes. Mela: *Ripas Tanais Sauromatæ, & ripis hærentia possident.* *Amazonium* quondam

dictum esse, ait Auctor libri de Fluminibus, Plutarchus Chæronensis vulgò creditus. Diuersus ab hoc *Tanais* terminus itinerum Alexandri, quem *Iaxarten* etiam, & à Scythis *Silin* vocatum Plinius auctor est, quique è Caucaso Indico nascitur & in Caspium mare deuoluitur. Vnum quidem fluuium Stephanus in Τάναϊς facit, qui *Acesinen* eum insuper vult dici: sed illius pariter aliorumque hic errores ostendit clarè ac refellit vir summus & eruditionem omnem supergressus Claudius Salmasius, amicus noster, in opere incomparabili Exercitationum Plinianarum.

BORYSTHENES. Marmori Tiburtino BORVSTHENES, nunc *Dniepr.* Clari nominis semper fuit, Europæ fluuiorum, si Danubium excipias, nulli secundus. Ab eo civitas Borysthenitarum appellata fuit, quamuis ad Hypanim sita. Dio Chrysostomus: ἡ γὰρ πόλις, τὸ μὲν ὄνομα εἴληφεν ἀπὸ τοῦ Βορυσθένους, διὰ τὸ κάλλος καὶ τὸ μέγεθος τοῦ ποταμοῦ. Κεῖται δὲ πρὸς τῷ Ὑπάνιδι. *Civitas enim nomen quidem accepit à Borysthene, propter fluminis & pulchritudinem magnitudinemque: adiacet autem Hypanidi.* De fonte illius Æthicus: *Fluuius Borysthenes nascitur de monte Hyperboreo.* Sed in aperta planicie locisque palustribus eum vltra Smolenscium oriri & accolæ norunt, & triumphali nuper Gloriosissimi superque omnes retrò Principes Felicissimi Regis nostri *VLADISLAI IV.* expeditione satis cognitũ est. *Alanos* propè illum habitasse, ex Marciani Heracl. cap. II. notauimus. Hinc *Alanus* appellatus fuit equus Adriani, cui Borystheni nomen, ob geniture haud dubiè nobilitatem, fuisse Io. Xiphilinus ex Dione Cassio indicat. Τῆς δὲ περὶ τὰς θήρας σπουδῆς αὐτοῦ καὶ ὁ Βορυσθένης ὁ ἵππος, ᾧ μάλιστα θηρῶν ἠρέσκετο, σημεῖον ἐστιν. ἀποθανόντι γὰρ αὐτῷ καὶ τάφον κατεσκεύασε, καὶ

στήλην

στήλην ἔστησε, καὶ ἐπιγράμματα ἐπέγραψεν. *Magno autem argumento est, eum studio venandi delectatũ fuisse, quod Borystheni equo, quo libenter in venationibus vtebatur, mortuo monumentũ ædificauit, erexitque columnam inscripto Epigrammate.* Tale Epigramma à P. Pithæo inter vetera Poemata editum, lumina seculi Casaubonus, Salmasius, Barthius noster æternis operibus suis cum inseruerint, nos hic ad Borysthenis ipsius memoriam illud præterire non debuimus:

Borysthenes Alanus,
Cæsareus veredus,
Per æquor & paludes
Et tumulos Hetruscos,
Volare qui solebat,
Pannonicos nec vllus
* *apros insequentem*
Dente aper albicanti
Ausus fuit nocere,
Vel extimam saliua
Sparsit ab ore caudam,
Vt solet euenire;
Sed integer iuuenta
Inuiolatus artus,
Die sua peremptus,
Hoc situs est in agro.

Versu septimo, *Per agros insequentem*, legendum puto. Cæsarem verò ipsum Græcè, qui eius mos fuit, Epigramma, de quo Dio, scripsisse, & hanc traductionem sequioris æui esse, autumat Barthius nobilissimus. Ego, rationem sermonis ad genium temporum expendere semper solitus, vt acerrimo amici maximi iudicio prorsus accedo: ita alterum cum hoc simul editum in Catellam (nam & canibus sepulchra constituisse Adrianum Spartianus narrat) mollissimum illud longè ac suauissimum, ad ætatem doctissimi Imperatoris libenter retulerim.

Quod potui, posui tibi, fida Catella, sepulchrum,
Digna magis cœli munere, quàm tumuli.
Candenti ex lapide hæc tibi conuenit vrna; fuisti
Candida tota fide, candida tota pilo.

Si cæ-

Si cælum, vt quondam, canibus patet haud tua terras
Incendet, sed ver stella perenne dabit.

HYPANIS; idem nonnullis qui AXIACVS, (& corrigenda hic forte Tabula Peutingeri, quæ Nusiacus exhibet) nostris BOH appellatur; alius ab *Hypani* Ptolemæi, quem Mæotiden amnem versus collocat. Hunc enim Borystheni vicinũ Herodotus alijque, tum Dio Chrysostom⁹, qui loca illa perreptauit, ipse facit. Borystheni verò Hypanim misceri quamuis Herodotus tradat, & qui cum illo consentiunt, aliud tamen cum experientia, tum Dio, nisi fallor, apertè docet, qui de ambobus his fluminibus ita: ἐκδιδοῦσι δὲ οἱ ποταμοὶ εἰς θάλασσαν, παρὰ φρούριον Ἀλέκτορος, ὃ λέγεται τῆς γυναικὸς εἶναι τοῦ Σαυροματῶν βασιλέως. *Effundunt se autem flumina in mare iuxta propugnaculum Alectoris, quod dicitur esse vxoris Sauromatarum regis.* Hypanim quem intelligat Vitruuius (puto autem nostrum) lib. VII. cap. VII. illi melius deprehendent, quibus genius soli cognitus est. Verba eius hæc sunt: *Auripigmentum, quod ἀρσενικὸν Græcè dicitur, foditur Ponto. Sandaracha item pluribus locis, sed optima Ponto: proximè flumen Hypanim habet metallum.* Et hunc ad Hypanim locum designare Dioscorides etiam lib. V. videtur, qui Arsenicum, quod ijs metallis quibus Sandaracha gignitur, glebosum & Sandarachæ simile è Ponto & Cappadocia deferri scribit.

VISTVLA. Nobilissimum flumen, de quo passim Auctores. Solinus ca. XX: *De internis eius partibus Albis, Guthalus, Vistula, amnes latissimi, præcipitant in Oceanum.* Libros *Viscla* exhibere Salmasius annotat. Et sic Iornandi etiam alicubi nominatur. Vandulo autem illi Vandam Gracchi filiam in eo submersam nomen dedisse, vt sunt

qui produnt: ita à Vandulis potius seu Wandulis, qui Germanico eius lateri accoluerunt, appellatum esse, credibilius videtur. VANDVLOS etiam hic Tabula Itineraria habet. Inter hos & Sarmatas Vagos, vt simul emendem locum satis corruptum, sic scriptum est:

QLuVa T dVGiI. DVR

At *Quadi. Latringes. Buri* legendum, vix dubito. Iul. Capitolin. in M. Anton: *Gentes omnes ab Illyrici limite vsque Galliam conspirauerant, vt Marcomanni, Narisci, Hermunduri, & Quadi, Sueui, Sarmatæ, Latringes & Buri.*

Cœterùm quod Herodotus lib. III. ERIDANVM mare ad Septentrionem spectans subeuntem producit, vnde Electrum venire dicatur, haud malè quidem, si de loco rationem ineamus, VISTVLAM pro ERIDANO ab antiquissimis habitum viri eruditi contendunt. Sed limpidissimum amnem, qui XXV. circiter millibus passuum supra Gedanum vrbem inter Carthusianorum Fratrum & Sucouiense monasteria è lacu nascitur, & sub Gedani, quod interfluit, mœnibus Vistulæ sese miscet, vulgari vocabulo *die Rodaune*, & variantibus dialectis *die Raddaune, de Raddune*, & *de Reddune* dicitur, *Eridanum* esse de quo Herodotus, multis probare argumentis nititur Phil. Cluuerius, quæ non exscribo. Iudicent eruditi. Mihi, amnem tam exiguum ad notitiam, quamuis obscuram, exterorum peruenire olim potuisse, minus mirum videtur, qui *Apulum* Daciæ, nunc *Ompay* Hungaris, *Ampul* Walachis, etsi minorem ferè hoc nostro Eridano, APVLENSI tamen COLONIÆ, licet Orientale illius latus fluuius ingens Marisus alluat, nomen dedisse, ac veteribus non indictum fuisse, noui. Hic siquidem est de quo siue Pedo siue Ouidius Elegia de morte Drusi Neronis:

Danu-

Danubiusque rapax, & Dacius orbe remoto
Appulus.

Lego *rapax*, cum vulgò *capax* editum ſit; ex ſimili Ouidij verſu, qui, ipſius Elegiam hanc eſſe, rationibus alijs addendus eſt:

Partheniusque rapax, & voluens ſaxa Cynapes
Labitur.

Siue itaque verè *Eridanum* Cluuerius dignitati domeſticæ adſtruit, commendandus ob iudicium; ſiue amore patriæ aberrat, ob pietatem laudandus eſt.

CAP. VII.

Auieni ora maritima pleriſque locis reſtituta.

EXcurreram ad Oceani Germanici littus antehac, inſtructus comitibus viuis, in quibus me oblectarem, ferè nullis; mortuis, admodum paucis. Inter hos Poëmata vetera, quorum collectionem V.C. Petro Pithæo debemus, ad manus erant, quibus tœdium viæ ac hoſpitiorum, homo quidem non delicatus neque vmbræ aſſuetus, leuare conabar. Cepit me imprimis Rufi Feſti Auieni de Ora maritima inſignis liber, in quo rara ſermonis & ad Græcam elegantiam accedens venuſtas, multaque ex deperditis Auctoribus, alibi non legenda. Aliud equidem fatum, quā vt tam mancus & mutilus circumferretur, planè meritus eſt. Eius margini haud pauca tum appinxeram, quæ libris nunc mihique tandem redditus congruere cum illis ipſis nonnunquam emendationibus, quibus vir omnibus meritis illuſtris C. Barthius operi huic medicinam attulit, poſtquam diebus ſuperioribus animaduerti, voluptate quæ ex his literis percipitur affectus ſum blan-

dissima. Proponam correctionum mearum partem. Rectè verò editur hoc Carmen post Orbis Periegesin ex Dionysij Græco in Latinum sermonem ab Auieno versam: nam & post illam confectum fuit. Indicat Auienus:

—— reliqua porrò scripta sunt
Nobis in illo plenius volumine
Quod de Orbis oris partibusque fecimus.

Sed videamus commentarium ipsum:

—— ni sciam te literas
Hiantibusque faucibus vestarum abdita
Hausisse semper.

Lego: *Vestæ abdita*; id est, literas secretiores ac vulgò parum notas. *Vestæ penetralia*, & Adagium apud Zenobium, *Vestæ sacrificare*, vulgata sunt.

Quin & parent credidi officium fore,

Fortè scribendum:

Quin, vt parentis, credidi officium fore.

Sanguinis vinculo Probum sibi iunctum iam dixit.

—— procul sitam
In usque glebam proruit nostrum mare.

Malo: *proluit*. Columella: *Impetus aquarum proluit terram.*

Narrationem opusculi paullò altius
Exordiemur. tu ex intimum iecur
Prolata conde.

Lego: *—tu hæc in intimum iecur Prolata conde.* —
Porrò. *Hic sunt columnæ pertinacis Herculis.*
Sic postea:

Vsque in columnas efficacis Herculis.

Quæ epitheta versui Iambico melius stabiliendo Auienum adhibuisse non difficulter olfaciunt, quibus Poëticum nasum habere datum est. *Hæc*

Hæc inter vndas multum cespitem facit.

Non turbat Auienus Iamborum sedem. Itaque lege:

Hæc inter vndas cespitem multum facit.

Porrò: *Tartesijsque in terminos Oestrumnidum*
Nagotiandi mos erat, Carthaginis
Etiam colonis, & vulgus inter Herculis
Agitans columnas, hæc adibant æquora.

Repono facili negotio, & distinguo:

Tartesijsque in terminos Pestrumnidum
Negotiandi mos erat: Carthaginis
Etiam coloni, & vulgus inter Herculis
Agitans columnas, hæc adibant æquora.

Statim: *Sic segnis humor æquoris pigri stupet.*

Infra — — — *Pelagus inclusum stupet.*

Versu sequenti:

Adjicit & illud. — —

Lego: *Adicit & illud.* —— Ita Martialis;

Nil adicit penso Lachesis, fusoque sororum.

Sequitur aliquantò inferius:

Post illa rursum quæ super fati sumus.

Nihil facilius: — — — *quæ supra fati sumus.*

Et mox: *Ophiusa madus, que rursum ab huius littore.*

Lego: *Ophiusam adusque, rursum ab huius littore.*

Eadem serie: — — *cursus aut hinc classibus.*

Corrigo: — — — *cursus autem hinc classibus.*

Porrò: — — *agresti fides*
Narrationis præ rei miraculo.

Scribendum, vt Nobilissimus Barthius mecum iudicat:

ægra est fides.

Paullò post: *Pætanion autem est insula ad se fumum latet.*

Scribo: *Patanion autem est insula ad Zephyrum patens.*
Sic enim paullò inferius:

Canusque cespes in meridiem patet.

Versu altero: *Populi Cynetum * Cyneticum iugum*
Qua sideralis lucis inclinatio est.

Lego: *Populi Cynetum, tum Cyneticum iugum.*

Sideralis lux Sol est; & Cynetas fermè extremos ad occasum Solis esse narrat Herodotus lib. IV. Sed iam nos quoque vltra Solis vias non progrediemur:

Cras ingens iterabimus æquor.

CAPVT VIII.

Auiti Allocutio Sponsalis emendata & illustrata. Vetus Inscriptio correcta.

CEntum Poëtas Græcos Latinosque Gallieni filijs Epithalamia dixisse, interque omnes Imperatoris ipsius præcipuum iudicatum fuisse, Trebellius Pollio narrat. Sunt sanè illi versus suaues, delicati, elegantes. Eiusmodi Allocutio etiam est illa, quam in eruditissimis ad Trebellium Notis ex vetusto Codice profert Cl. Salmasius, dignam quæ & hic exhibeatur, & à notabili menda liberetur.

ABITI ALLOCVTIO SPONSALIS.

Linea constricto de pectore vincula solue,
Et domino te crede tuo: nec candida ladas
In quibus ora vide, vel ne contacta repugnes.
Est in nocte timor, non est in nocte periclum.
Nec volo contendas: vinces cum vicerit ille.

Abiti scriptum est pro *Auiti*: ob cognatam eo æuo harum lite-

literarum pronunciationem. Ita Aurelianus Imp. de Bonaso apud Fl. Vopiscum: *Non ut viuat natus est, sed ut bibat.* Vetus Inscriptio pag. IↃCXCII. magni Operis:

M. Q. AVITVS. D. C. F.
ET
OCIATA AVITA
IVSTO FIL. OBITO

Vbi IVSTO. FIL. ABITO scribendum, non ambigo.

Auitus vero hic quis fuerit, nemo facilè dixerit. Quia tamen hoc ipsum Epithalamium inter centum illa extitisse credibile est, de quibus Trebellius; coniecturam facere licet, Gallonium Auitum, qui Legatus Thraciarum postea fuit regnante Aureliano, fortassis auctorem esse. Admodum enim liberi hi versus sunt; neque scripti nisi à domui Augustæ familiari.

— — nec candida lædas
In quibus ora vide.

Omninò scribendum, *Vnguibus*. Sic *lædere oscula* Horatius dixit lib. I. Od. XIII. De vnguibus idem lib. eod. Od. VI:

Nos conuiuia, nos prælia virginum
Sectis in iuuenes vnguibus acrium
Cantamus — —

Claudianus planè vt Auitus, Epithal. Palladij & Serenæ:

— — concede marito
Tu quoque, nec Scythicas infensis vnguibus iras
Exercere velis. — —

vel ne contacta repugnes Catullus:

At tu ne pugna cum tali coniuge virgo;
Non æquum est pugnare. — —

CA-

CAPVT IX.

Sarmatis plaustra pro domibus. Tertullianus emendatus. Plaustrorum descriptio. Sarmatarum diuersa instituta: Potus lac; equinum præsertim. Inter cibos milium. Mira comedendi ratio.

VT Sarmatas Scytharum nomine, Scythas Sarmatarum sæpè dictos antiquissimis temporibus fuisse, per se notum est, ego hoc etiam libro monui: ita ex ijs quæ de vitæ ratione alijsque rebus vniuersè Scythis ab auctoribus adscribuntur, quid ad Sarmatas speciatim referre debeamus, satis interdum vix apparet. Ego ea saltuatim paucisque huc congeram, quæ ipsis aut expressè, aut ita tribuuntur, vt sub Scytharum nomine Sarmatas intelligi debere dubitandum non sit.

Sarmatis olim tentoria, currus, plaustra ædium loco fuisse, immò domos in plaustris, non vnus tantum auctor prodit. Tacitus de moribus German: *Hi tamen* (Peucini & Fenni) *inter Germanos potius referuntur; quia & domos figunt, & scuta gestant, & pedum vsu ac pernicitate gaudent; quæ omnia diuersa Sarmatis sunt, in plaustro equoque viuentibus.* Itaque *Hamaxobitas* dictos cap. III. annotauimus. Id de Scythis cum alij dicunt, tum Horatius lib. III. od. XXIV.

Campestres melius Scythæ,
Quorum plaustra vagas ritè trahunt domos.

Vbi Acron: *Scythæ campestres dicti, eò quod in campis, sine tectis, sub tentorijs viuant, quæ carpentis mouentur; vt Sallustius: In quibus plaustra sedes sunt.* Integrius Sallustiana verba citat Porphyrio: *Scythæ Nomades tenent, quibus plaustra sedes sunt.* Respicit huc etiam Tertullianus lib. de Præscript.

adu.

adu. Hæreticos: *Plerique nec Ecclesias habent sine matre, sine sede, orba fide, extorres, quasi sibi, latè vagantur.* Nic. Rigaltius, optimus super alia merita scriptoris maximi subuentor, ex vet. cod: *orbi fide, extorres, sine lare vagantur.* Sed concinnandus hic locus ex vtriusque editionis lectione, manuscriptis melioribus nixa, sic planè videtur: *quasi Scythæ sine lare vagantur.*

De Sarmaticis verò plaustris Ouid. III. Trist. Eleg. X:

Perque nouos pontes, subter labentibus vndis,
Ducunt Sarmatici barbara plaustra boues.

Et Eleg. XII:

Nec mare concrescit glacie, nec, vt ante, per Istrum
Stridula Sauromates plaustra bubulcus agit.

Plaustrorum eiusmodi Scythicorum minimos quatuor rotis, reliquos sex circumactos ex Hippocratis lib. περὶ ἀέρων, ὑδάτων, τόπων, discimus.

De ijsdem plaustris Iustinus ex Trogo, lib. II. cap. II: *Vxores liberosque secum in plaustris vehunt; quibus corijs imbrium hyemisque causa tectis, pro domibus vtuntur.* Pro *corijs* legendum *corticibus* CL. optimusque vir Matth. Bernec-cerus putat: Et Amm. Marcellinus quidem *Alanos* ait *vagari supersidentes plaustris, quæ operimentis curuatis corticum per solitudines conserunt.*

De victus ratione apud Strabonem lib. VII. Ephorus; Cum aliorum Scytharum, tum Sauromatarum non vnum esse vitæ institutum; quosdam enim eò immanitatis progredi, vt humanis vescantur carnibus: contra alios ab alijs etiam animantibus abstinere. Et quid de Vagis seu Nomadibus Scythis, iustitia omnibus mortalium superioribus, quique equino lacte vescantur, Ephorus ille scripserit, ha-

bes fusiùs apud eundem Strabonem. *Galactophagos* autem seu *lacte vescentes* etiā Sarmatas dictos, videmus apud Etymologum in Γλακτοφάγος. Respicit eò Plinius lib. XI. cap. XLI: *Mirum, barbaras gentes quæ lacte viuunt, ignorare aut spernere tot seculis casei dotem, densantes id alioquin in acorem iucundum & pingue butyrum. Spuma id est lactis, concretiusque quam quod serum vocatur.* At Nicolai Damasceni eximius de hac gente locus est apud Stobæum, ubi & casei vsum ipsi fuisse asserit: Γαλακτοφάγοι, Σκυθικὸν ἔθνος, ἄοικοί εἰσιν, ὥσπερ καὶ οἱ πλεῖστοι Σκυθῶν. Τροφὴν δ' ἔχουσι γάλα μόνον ἵππιον, ἐξ οὗ τυροποιοῦντες, ἐσθίουσι καὶ πίνουσι. Καί εἰσι διὰ τοῦτο δυσαλωτότατοι, σὺν αὐτοῖς πάντη τὴν τροφὴν ἔχοντες. *Galactophagi, gens Scythica in ædibus non degunt, vt & plerique alij Scytharum. Victus eis solo equarum lacte constat, vnde caseos conficiunt, atque eo tum potu tum cibo vtuntur. Itaque non facilè bello superantur, quod commeatus vbique ipsis præsto sit.* De lacte equino Martial. lib. Spectacul. Epigr. III:

Venit & epoto Sarmata pastus equo.

Vide & Antiphanem apud Athenæum lib. VI. Deipnosoph. qui Scythas statim natis infantibus equorum boumque lac præbentes, multò alijs, quorum liberi educationis mollicie corrumpuntur, sapientiores esse prædicat & feliciores.

Inter cibos Sarmatis milium. Ælian. Variar. lib. III. cap. XXXIX: Τιρύνθιοι δὲ ἀχράδας δεῖπνον εἶχον, Ἰνδοὶ καλάμους, Καρμανοὶ φοίνικας, κέγχρον δὲ Μαιῶται καὶ Σαυρομάται. *Tyrinthij verò siluestria poma comederunt, Indi arundines, Carmani palmas, milium Mæotæ & Sarmatæ.* Miram verò comedendi rationem Agellius lib. IX. cap. IV. ex voluminibus Græcorum quos recenset vetustiorum adducit; *Item esse compertum*

pertum & creditum, Sauromatas, qui vltra Borysthenem fluuium longè colunt, cibum capere semper diebus tertijs, medio abstinere. Contraria Nic. Damascenus omnia: Σαυρομάται διὰ τριῶν ἡμερῶν σιτοῦνται εἰς πλήρωσιν. *Sauromatæ tribus diebus cibo ad repletionem vsque ingurgitant.*

De agricultura Scytharum Getarumque Horatius lib. III. Od. XXIV:

Immetata quibus iugera liberas
Fruges, & Cererem ferunt.

Et de aratro Sarmatico Lucanus lib. VII:

Sarmaticumque premat succinctus Consul aratrum.

CAPUT X.

Mars Scythicarum gentium Deus. Ensis ab ijs cultus. Sauromatæ Dijs suis equos immolabant. Scytharum leges. Sarmaticarum puellarum coniugia.

MArs Scythicarum gentium, inter quas Sarmatæ, communis Deus. Ex Herodoto Mela lib. II. cap. I. de Scythia Europæa, vbi & Sauromatarum meminit: *Mars omnium Deus. Ei pro simulachris enses & tinctoria* (ita Salmasius locum emendat) *dedicant, hominesque pro victimis feriunt.* Solinus de Neuris Borysthenis accolis: *Populis istis deus Mars est: pro simulachris enses colunt.* Sed de Neuris Solis dicit, quod de Scythis omnibus dicendum erat. De acinace etiam Arnobius lib. VI. adu. Gentes: *Ridetis temporibus priscis Persas fluuium coluisse, memoralia vt indicant scripta. informem Arabas lapidem, acinacem Scythiæ nationes. Sarmatas dijs patrijs equos immolasse,* Pausanias lib. I. auctor est. *Zirim* verò sacrum illis nomen fuisse, Lucianus recenset in Toxari; quamuis eo vocabulo quid sibi volue-

voluerint, non declaret: καὶ οἱ μὲν Σαυρομάται, διηρμένοι τοὺς ἄκοντας, ὥρμησαν ἐπ' αὐτὸν, ὡς κατακεντήσοντες. ὁ δὲ, ἐβόα τὸν Ζίριν. τοῦτο ἢν ἰδὼν τις εἴπῃ, οὐκέτι φονεύουσιν αὐτὸν. ἀλλὰ δέχονται, ὡς ἐπὶ λύτροις ἥκοντα. *Tum Sauromatæ densatis telis irruerunt in ipsum, iam confixuri nisi succlamasset Zirim. Quod ubi quis dixerit, eum non occidunt: sed tanquam cum redemptionis pretio venientem accipiunt.*

Suis porrò legibus has gentes vixisse, dubitandum non est. Philo lib. II. de vita Mosis: ἀλλ' οὐδὲ κατὰ τὴν βάρβαρον αἰγύπτιοι τοὺς σκυθῶν νόμους φυλάττουσιν, ἢ σκύθαι τοὺς αἰγυπτίων. *Sed neque inter barbaros Ægyptij Scytharum leges seruant, neque Scythæ Ægyptiorum.* Et huc faciunt nonnulla apud Herodotum lib. IV.

Denique, connubia Sarmaticarum puellarum fortitudinis præmia. Nic. Damascenus apud Stobæum cap. XLII: παρθένον δὲ οὐ πρότερον συνοικίζουσι πρὸς γάμον, πρὶν ἂν πολέμιον ἄνδρα κτείνῃ. *Virginem non prius locant ad nuptias, quam hostem occiderit.* Mela lib. III. cap. IV. *Ferire hostem adultarum stipendium est; adeò vt non percussisse, pro flagitio habeatur, sitque eis pœna virginitas.*

CAPVT XI.

Auieni Ora maritima sæpius correcta.

NVllibi peius habiti fuerunt ab ineptis librarijs Auctores, quàm circa propria populorum, regionum, fluuiorum, hominum rerumque aliarum nomina. Hic corrigenda est iterum Ora maritima Auieni, cui caput hoc destinabimus.

Memorato aliam in gemina sese flumina
Scindunt repentè, per quæ prædicti sinus
Crassum liquorem.

Resin-

Refingo locum:

Memoratus Ana in gemina ſeſe flumina
Scindit repente, perque prædicti ſinus
Craſſum liquorem. — —

Dixerat enim Auienus:

Ana amnis illic per Cynetas effluit.

Porrò: *Littusque latus ſaxeum diſtenditur.*
Scribo: *Latè.*
Item: *Anhyberus inde manat amnis.*
Emendo: *At Hiberus inde manat amnis*
Poſt: *Nunc deſtituta, nunc ruinarum ager eſt.*
Repoſueram: — — *nunc ruinarum eſt ager.*
Sed præferenda Barthiana lectio: — *agger eſt.*
Sic infrà: *Varios per agros & ruinarum aggeres.*
Porrò: *Oraculumque monte ab illo, quem tibi*
*Horrere ſiluis dixeram, in Veneris**
Litus recline & molle harenarum iacet.

Videtur explenda lacuna:

Horrere ſiluis dixeram: in Veneris iugo
Litus recline & molle harenarum iacet.

Ita namque & poſtea:

Phanumque aduſque Veneris ac Veneris iugum
Littus recumbit.

Verſu proximo. *In qua Beſilus atque Cilbus flumina*
Vergent fluentum.
Lego: *Vrgent fluentum.* *Vrgent*, adigunt, propellunt.
Glossarium H. Stephani: *Vrguet*, ἐπείγει, κατασπεύδει, ἐπίκειται.
Europæ in agro quod vocari ab incolis
Sacrum indicaui, prominens ſubducitur
Locus, vtroſque interfluit tenue fretum.

Distinguo & lego: — — *prominens subducitur.*
Locos vtrosque interfluit tenue fretum.
Vlterius: *Hic Herculanæ stant columnæ, quas modum*
Vtriusque haberi continentis legimus.
Modus pro termino. Sic *modus fluminum, modus* limitum apud sæculum Flaccum. Vide V. C. Nic. Rigaltij Glossas Agrimensorias.
Oceanus iste est, orbis effusi procul
Circumlatratus iste, Pontus maximus.
Emendandum puto:
Oceanus iste est, orbis effusi procul
Circumlatrator iste. Pontus maximus.
Sic *elatrare* Horatius, *conlatrare* Seneca F. dixit.
Vis vel varium pelagus omne internatat.
Optimè Barthius *Vis belluarum.* Ego: *Pecus marinum*, emendaüetam. Sed muto sententiam.
Balearicarum latè insularum dorsa sunt.
Lego: *Balearidum.*
At qua recedit ab salo tellus procul.
Rutil. Numatian. lib. I.
Asia prælegitur tellus, pyrgique recedunt.
Porrò: *Ferax olivi, & hinc Mineruæ sat sacra.*
Lego: — — *stat sacra.*
Callipolis ill   mænium.
Proceritatem & celsa per fastigia
Subibat auras, quæ laris vasti ambitu
Latere ex vtroque piscium semper ferax,
Stagnum imprimebat.
Primò: *Callipolis illa quæ per altam mænium*
Proceritatem; aut non absimile quid reponendũ videtur.
Post

Post lege: — — *quæ maris vasti ambitu.*
Porrò: *Præterque vasti gurgitis crepulas aquas.*
Legendum: — — *creperas*
Post: — — *dehinc*
Besaram stetisse fama cassa tradidit.
Emendo: — — *fama casca tradidit.*
Num qua excitent, fluctuum volumina,
Sternatque semper gurgitem Alcyonæ quies.
Legò: *Nunquam excitentur fluctuum volumina.*
Dehinc: * *Et à prisca siluis nominis porro auctor.*
Lego: *Et aprica siluis. nominis porro auctor est.*
Post: — — *& innicem regionibus*
*Cer * negari.*
Rescribo: *Certis negari.*
* *Meat amnis aut fonte per Tylangios.*
Lego: *Meat amnis autem.*
Deinde: — — *Panditur porrò in decem*
Vexis recursu gurgitum stagnum graue;
Plerique tradunt,
Lego: — — *Panditur porrò in decem*
Flexus recursu gurgitum stagnum graue, vt
Plerique tradunt. —
Frontin. de Agror. qualitate: *Flexus, qui secundum locorum naturam curuantur, vt in agris arcifiniјs solet.*
Labos & olim conditorum diligens
Formam locorum & arua naturalia
Fulcit arte; — —
Emendo: *Labos sed olim conditorum diligens*
Formam locorum & arua naturalia
Fulsit per artes; — —

Æquor

Æquor assiduis fluctibus alluens vrbi Massiliæ & campis poenè vim intulit: sed conditorum industria & labore arua tutiora reddita, arteque in meliorem statum perducta fuerunt.

CAPVT. XII.

Sarmatis semper Reges, Principes, duces: Quorundam nomina.

REges ac duces Sarmatis semper fuisse, controuersum non est. Meminit eorum Herodotus lib. IV. aliquoties. Plinius Iun. lib.X. epist.XIII. ad Traianum Imp: *Sed venit tabellarius Sauromatæ, quem ego, vsus opportunitate quam mihi casus obtulerat, cum tabellario qui Lycormam ex itinere præcessit, mittendum putaui, vt possis ex Lycormæ & ex regis Epistolis pariter cognoscere, quæ fortasse pariter scire deberes.* Et Epist. seq: *Rex Sauromates scripsit mihi, esse quædam quæ deberes quam maturissimè scire.* Item XV: *Legato Sauromatæ regis, cum sua sponte Niceæ, vbi me inuenerat, biduo substitisset, longiorem moram faciendam, domine, non putaui.* Seneca Thyeste:

Reges conveniant licet,
Qui sparsos agitant Dahas,
Qui rubri vada littoris;
Et gemmis mare lucidum
Latè sanguineum tenent:
Aut qui Caspia fortibus
Recludunt iuga Sarmatis.

De Iazygibus Sarmatis Tacit. lib.III. Hist: *ne inermes prouinciæ barbaris nationibus exponerentur, Principes Sarmatarum Iazygum, penes quos ciuitatis regimen in commilitium asciti.* De Roxolanis Æl. Spartian. in vita Adriani: *Cum rege Roxolano-*

lanorum, qui de imminutis stipendijs querebatur, cognito negotio pacem composuit.

Seriem verò certam regum & successionis ordinem vltima ex origine indagare velle, vanum est. Et valeat cum Thuyschone suo, rege Sarmatiæ, fictus Berosus Annij Viterbiensis, cuius proteruiæ & commentitijs Antiquitatibus Suarezius, Posseuinus, Pererius, Torrentius alijque doctissimi viri laruam dudum detraxerunt.

De *Medosacco* Sarmatarum rege, luxui & crapulæ dedito, eiusque coniuge *Amage* heroica fœmina & supra sexus sui captum fortissima Polyænus Stratagem. lib. VIII. *De Rausimodo* tempore Constantini Imp. contra ditiones Romanas ad Istrum mouente Zosimus lib. II. *Zizaim* Sarmatis Limigantibus à Constante Imp. regem præfectum Ammian. Marcellin. narrat lib. XVII. *Beuga* & *Babai* Sarmatarum reges à Iornande de rebus Geticis nominantur, qui Hunimundo & Alarico Sueuorum regibus auxilio contra Gothos adfuerint.

CAPVT XIII.

Anonymi carmen in vrbis Romæ ruinam ex codice antiquo.

EXtat inter Poematia vetera Anonymi epigramma in ruinam Romæ; quod & Franc. Schottus adducit in Vrbis Admirandis. Est verò istud:

Vrbs cecidit: de qua si dignum dicere quicquam
Moliar, hoc potero dicere, Roma fuit.
Non tamen annorum series, non flamma, nec ensis,
Æternum potuere hoc abolere decus.
Cura hominum potuit tantam componere Romam,
Quantam non potuit soluere cura deûm.

 Con-

Confer opes, marmorque nouum, superumque fauorem,
Artificum vigilent in noua facta manus:
Non tamen aut fieri par stanti machina muro,
Aut instaurari sola ruina potest.
Tantum restat adhuc, tantum ruit, vt neque stans pars
Æquari possit, diruta nec refici.
Hic superum formas superi mirantur, & ipsi
Se cupiunt fictis vultibus esse pares.

At extat penes me in membrana vetustissima carmen, cuius hoc, vt videbatur, Epigramma pars nondum dimidia est. Id latere diutius non debet; cum & æui sui optimum sit, & inter optimi æui meliora poni mereatur.

Par tibi, Roma, nihil, cum sis propè tota ruina:
Quam magni fueris integra, fracta doces.
Longa tuos fastus ætas destruxit & arces:
Cæsaris & superum templa palude iacent.
Ille labor, labor ille ruit, quem dirus Araxes
Et stantem premuit, & cecidisse dolet.
Quem magis optauit cum crimine solus habere
Cæsar, quàm socius & pius esse socer:
Qui crescens studijs tribus, hostes, crimen, amicos,
Vi domuit, secuit legibus, emit ope.
In quem dum fieret vigilauit cura priorum:
Iuuit opus pietas hospitis, vnda locum.
Materiem, fabros, expensas axis vterque
Misit, se muris optulit ipse locus.
Expendere duces thesauros, fata fauorem,
Artifices studium, totus & orbis opem.
Proh dolor! vrbs cecidit, cuius dum specto ruinas,
Penso statum, solitus dicere, Roma fuit.

Vrbs cecidit de qua si quicquam dicere dignum
Moliar, hoc potero dicere, Roma fuit.
Non tamen annorum series, non flamma, nec hostis
Ad plenum potuit hoc abolere decus.
Cura hominum potuit tantam componere Romam,
Quantam non potuit soluere cura deûm.
Confer opes, marmorque nouum, superumque fauorem,
Artificum vigilent in noua facta manus,
Non tamen aut fieri par tanto machina muro,
Aut restaurari sola ruina potest.
Tantum restat adhuc, tantum ruit, vt neque stans pars
Æquari possit, diruta nec refici.
Hic superum formas superi mirantur & ipsi,
Et cupiunt fictis vultibus esse pares.
Non potuit natura deos hoc ore creare,
Quo miranda deûm signa creauit homo.
Vultus adest his numinibus, potiusque coluntur
Artificum studio quàm deitate sua.
Vrbs felix si vel dominis vrbs illa careret,
Vel dominis esset turpe, carere fide.

Adjiciemus pauca. *Par tibi, Roma, nihil)* Respicit illud Martialis lib. XII. Epigr. VIII:

Terrarum dea gentiumque Roma,
Cui par est nihil, & nihil secundum.

cum sis propè tota ruina) Palladius Hist. Lausiaca cap. CXVIII. nec æneas quidem statuas in foro relictas, & Vrbem desertam relictam, vereque, iuxta Sibyllæ vaticinium, ῥύμην, hoc est, vicum esse factam, conqueritur.

Quam magni fueris integra, fracta doces.) Epigramma in Græciæ ruinam:

— — *cinis ipse iacentis*

Visitur, & tumulo est nunc quoque sacra suo.

& arces) Domus superbas; è quarum maioribus omnia intra se vnaquæque habuit, quæcunque mediocris etiam vrbs habere potuit; hippodromum, fora, delubra, fontes, varia balnea; vt est in Olympiodori excerptis apud Photium: vbi & versus adducitur:

Εἷς δόμος ἄστυ πέλει: πόλις ἄστεα μυρία τεύχει.

Est vrbs vna domus: mille oppida continet vna vrbs.

Et stantem premuit) Legend. *tremuit.*

vigilauit cura priorum) Forte: *deorum.* *Pietas hospitis*) Malim: *hospitij.* Florus lib. I. cap. I: *Imaginem vrbis magis, quam vrbem fecerat: incolæ deerant. Erat in proximo lucus: hunc Asylum facit: & statim mira vis hominum.*

Solitus dicere) Corrigo: *soleo dicere.*

Roma fuit) Ausonius Epigr. de Roma, Constantinop. & Carthagine:

— — *Vetus hanc opulentia præfert*

Hanc fortuna recens. Fuit hæc: subit ista. —

Grauissimus scriptor Saluianus lib. IV. de gubern. Dei: *Denique sciunt hoc Hispaniæ, quibus solum nomen relictum est: sciunt Africæ, quæ fuerunt.* Sic de Lugdunensi Colonia Seneca Epist. XCII: *Lugdunum quod ostendebatur in Gallia, quæritur.*

nec hostis) Melius editio Pithoei: *nec ensis.*

marmorque nouum) Istud *nouum* mihi suspectum est.

Tantum restat adhuc) Hoc distichon in MS. meo omissũ fuit.

Non potuit natura) Planè ita Ausonius in buculam Myronis Epigr. LXIII.

Fingere nam similem viuæ quàm viuere, plus est;

Nec sunt facta dei mira, sed artificis.

Cæ-

Cœterum ne ſic quidem ſatis integrum eſſe carmen hoc videtur. Nam cum de ſtatuarum iactura tantum verborum fecerit Auctor, mirum eſſet, maiora tranſijſſe. Vltimum etiam diſtichon, licet non infelix, tamen præcedentibus vix ſatis conuenit.

CAPVT XIV.

Sarmatarum corporis cultus: comæ; barba. Alanorum apices faſtigiati: Sarmatæ pelliti: braccati. Mures, ſilueſtres beſtiæ. Syſira. Maſtruca. Rhenones. Braccæ; vnde dictæ. Scythicæ; calceamenti genus.

Corporum cultus Sarmatis quis fuerit, paucis expediam. De comis & barba Ouidius lib. V. Triſt. Eleg. VIII:

Non coma, non vlla barba reſecta manu.

Lib. eod. Eleg. X:

Sæpè ſonant moti glacie pendente capilli,
Et nitet inducto candida barba gelu.

De Boryſthenis vrbis incolis Dio Chryſoſtomus, interp. F. Marcello: *Oppidò igitur gauiſus eſſet aſpectu Philoſophus quiſpiam, quod omnes antiquum iuxta morem (vt Homerus Græcos deſcribit) comam gerebant, barbasque promiſerant.* Sed Dioni ſermo de Græcis eſt, qui coloniam eò deduxerant, & mercaturæ exercendæ gratia potiſſimum illic viuebant. De Scythicis gentibus vniuerſis Plutarchus in Craſſo: τῶν ἄλλων Πάρτων ἔτι Σκυθικῶς ἐπὶ τὸ φοβερὸν τῶν ἀνασίλλων κομώντων. *Cum cæteri Parthi etiam tũ Scythico modo horrerent capillo incompto.*

Alanis, qui Sarmatæ, apices faſtigiati. Iſidorus: *Perſæ brachia ac crura lineamentis, caput tiara tegunt. Eminent apicibus faſtigiatis Alani.*

Vestis Sarmatarum pelles & braccæ. Ouid. III. Trist. El. X:

Pellibus & sutis arcent mala frigora braccis,
Oraque de toto corpore sola patent.

Seneca epist. XC: *Non hodieque magna Scytharum pars tergis vulpium induitur ac murium, quæ tactu mollia & impenetrabilia ventis sunt.* Iustin. lib. II. cap. II: *Et quanquam continuis frigoribus vrantur, pellibus tamen ferinis aut murinis vtuntur.* *Mures* autem Romanis passim siluestres bestiæ, vt *martes* & *hermelini*, qui ad vestitum commendabantur. Bouinas etiam pelles huic vsui inseruijsse Paulinus innuit Propemptico Nicetæ:

Et Getæ currunt & uterque Dacus,
Qui colit terræ medio, vel ille
Diuitis multo boue pelleatus
Accola ripæ.

Huiusmodi vestium genus fortasse *Sysiræ*. Iul. Pollux lib. VII. cap. XV. συσεῖρα δὲ, χιτὼν σκύτινος, ἔντριχος, χειριδωτός: Σκυθικὸν τὸ χρῆμα. *Sysira autem tunica coriacea, pilosa, manicata: habitus Scythicus.* Item *Mastrucæ*. Isidor. lib. XXI. cap. XXIII: *Mastruca vestis Germanica ex pelliculis ferarum. de qua Cicero pro Scauro: Quem purpura regalis non commouit, eum Sardonum mastruca mutauit.* Prudent. lib. II. contra Symm:

Tentauit Geticus nuper delere tyrannus
Italiam, patrio veniens iuratus ab Istro,
Has arces æquare solo, tecta aurea flammis
Soluere, mastrucis proceres vestire togatos.

De *rhenonibus* Cæsar de bello Gallico. Seruius ad Virg. III. Æneid: *Vestes de pellibus rhenones vocantur.* Sed breuior hæc vestis, & intra thoracis ferè modum. Isidor. ibid:

Rhe-

Rhenones sunt velamina humerorum & pectoris vsque ad vmbilicum, atque intortis villis adeò hispida, vt imbres respuant.

De braccis Ouidius, loco iam citato. Mela lib. II. cap. I. *Totum braccati corpus, & nisi quà vident, etiam ora vestiti.* Sed pro corporis vniuersi vestitu Mela braccas sumit. Laxas fuisse ex Lucano discimus, lib. I:

> *Et qui te laxis imitantur, Sarmata, braccis*
> *Vangiones, Batauique truces.*

Ouid. lib. V. Eleg. VII:

> *Pellibus & laxis arcent mala frigora braccis.*

Tacit. de morib. Germ: *Locupletissimi veste distinguuntur, non fluitant, sicut Sarmatæ ac Parthi, sed stricta & singulos artus exprimente.* *Braccæ* Etymologo βρακία; in ἀναξυρίδας: qui dictas putat, ἀπὸ τοῦ ῥακία, πλεονασμῷ τοῦ β. Lexicon vetus Græco-Lat: ῥάκος, *pannum.* Latinum nomen putat Isidorus lib. XIX. cap. XXII. *Femoralia appellata, eò quod femora tegant. Ipsa & braccæ, quod sint breues, & verecunda corporis ijs velentur.* At *braccæ* hodieque *bruch* Saxoniæ Inferioris populis, Danis *broch*, Belgis *broecke* sunt: cui vocabulo, vt alijs, Romani suæ linguæ flexum addiderunt.

De pedum tegmine veteres apertè nihil. *Scythicæ* tamen peculiare calceamenti genus; forte & huic genti. Harpocration in Σκυθικαί. Iul. Pollux lib. VII. cap. XXII.

CAPVT. XV.

Feræ quædam & animalia Ponti & Sarmatarum. Castor; idem Fiber: Bebrus: Bobera amnis. Mus Ponticus. Tarandus. Colos. Venationes Sarmatarum. Asini in Scythia nulli.

EX ferarum pellibus veſtimenta Sarmatarũ ferè conſtitiſſe, diximus. Producamus feras Ponti & Sarmatarum paucas, quarum auctores meminiſſe nunc quidem recordamur.

De *caſtore* Tertullianus; lib. I. adu. Marcionem: *Iam & beſtijs illius barbariæ importunior Marcion. Quis enim tam caſtrator carnis caſtor, quàm qui nuptias abſtulit?* Solinus cap. XIII: *Per vniuerſum Pontum Fiber plurimus, quem alio vocabulo dicunt caſtorem.* *Bebrus* infimi æui ſcriptoribus dicitur. Gloſſæ veteres: *Caſtorinum, vebrinum.* Germanis hodie, Biber. Inde Boberæ nobili Sileſiæ amni nomen. Ditmarus Merſpurgenſis Epiſcopus, qui A. C. MXVIII. deceſſit: *Fixerunt tentoria iuxta amnem qui Bober dicitur Sclauonicè, caſtor Latinè. Quos Bolizlaus munitis littoribus præfati fluminis, cũ exercitu grandi in Croſno ſedens, vllo modo tranſire prohibuit.*

De *mure Pontico* Tertull. loco citato: *Quis tam comeſor mus Ponticus, quam qui Euangelia corroſit?* Ariſtotel. de hiſtor. animal. lib. VIII: Φωλεῖ δὲ καὶ ὁ ἐλειὸς ἐν αὐτοῖς τοῖς δένδρεσι, καὶ γίνεται τότε παχύτατος. καὶ ὁ μῦς ὁ πόντιος ὁ λευκός. *Latet verò etiam ſciurus in ipſis arboribus, & euadit tum pinguiſſimus. Itidem mus Ponticus albus.* Idem ex Philoſopho Plinius recenſet lib. VIII. cap. LVII.

Tarandus. Theophraſtus de animalibus quæ colorem mutant: καὶ τὸ θηρίον ὁ τάρανδος, ὃ ἐν Σκύθαις φασὶν ἢ Σαρμάταις γίνεσθαι. *Illaque bellua, quæ vocatur tarandus, quæ apud Scythas aut Sarmatas naſci creditur.* Ariſtotel. etiam lib. de mirab. auſcult. reperiri ἐν Σκύθαις τοῖς καλουμένοις Γελωνοῖς, *apud Scythas qui Geloni dicuntur,* reperiri ait. Stephanus: Γελωνοὶ, Σαρματίας πόλις. *Geloni, vrbs Sarmatiæ.* Deſcribit Theophraſtus, interprete A. Schotto: *Tarander quidem magnitudine bouis*

eſt, ſi-

est, similis figura ceruo, nisi quod latior, tanquam è duorum ceruorum figuris compositus. Bifida est ei vngula, & cornu. Habet verò hoc ramos vt ceruorum cornua, & omninò pilosum est. Ossa tegit extenta cutis, vnde pili existunt. Pellis digitum densa est, admodum dura; ideò & eam aptantes, pro thorace militari utuntur. Raro hoc animal videtur: mira eius mutatio, & pœnè incredibilis. Alia quidem animalia in pelle mutantur, mutato interno humore vel sanguineo, vel alio, vt manifesta sit sympathia, hoc est, naturæ consensus. Pilorum verò mutatio, cum aridi sint ac pendentes, & frequenter mutari non soleant, omninò admiranda & incredibilis est; maximè cum variè illa fiat. Quæ ferè & apud Aristotelem extant lib. iam laudato. Meminit eius & Phile cap. XLIX. de animal. Eustath. ad Dionys. Perieg. Plinius ac Plinij exscriptor Solinus, qui in Æthiopia, contra aliorum sententiam, nasci ait. Cœterùm de hoc animali quid dicam, nescio: multa tamen illi cum alce similitudo, cuius pelle etiam nunc pro thorace milites frequenter vtuntur. Sed alcen Pausanias in Bœot. Cæsar lib. VI. Plin. lib. VIII. Solinus cap. XXIII. disertè, quamuis non exactè, describunt; & hæc palæstra vix est mea.

Sarmatas etiam animal quadrupes habere, quod *Colos* ab ijs appelletur, magnitudine inter ceruum & arietem media, album, cursu quam illa velocius, quod naribus aquam in caput hauriat, ibique per dies plures reseruet, ita vt facilè viuat in locis aquis expertibus, Strabo ait lib. VII.

De venationibus Sarmatarum idem Strabo ibidem; Θῆραι δ' εἰσὶν ἐν μὲν τοῖς ἕλεσιν ἐλάφων καὶ συάγρων. ἐν δὲ τοῖς πεδίοις, ὀνάγρων, καὶ δορκάδων. *Venationes habent, in paludibus quidem ceruorum & aprorum: in campis onagrorum & caprearum.*

At nullos in Scythica terra asinos gigni, propter im-

mensum frigus, Aristoteles auctor est: idem de mulis Antigonus affirmat, in Collectaneis historiar. mirabilium.

CAPVT XVI.

Amazones primæ equum conscenderunt. Sarmatarum equi. Scytha equum: Adagium.

AB asinis ad equos. Hi Sarmatiæ terræ singulare animal, Sarmatarum, bellicosi populi, propria cura. De Amazonum gente, quas & Sauromatidas ab antiquis dictas notauimus, Lysias Orat. XXXI: πρῶται δὲ τῶν πάντων ἐφ᾽ ἵππους ἀναβᾶσαι. *Primæ omnium in equos ascenderunt.* De ijsdem Lycophron:

> ὑπὲρ κελαινὸν ἴστρον ἤλασαν σκύθας
> ἵππους.
> *Trans gurgites Istri nigros Scythicas equas*
> *Egere.*

Singulos Sarmatarum magnam equorum copiam alere, Pausan. lib. I. affirmat; viuere in equis, Tacitus: *Quæ omnia*, inquit, *diuersa Sarmatis sunt, in plaustro equoque viuentibus.* Ita Clemen. Alexandrinus iam citandus. Ouid. V. Trist. El. VIII:

> *Sarmaticæ maior Geticæque frequentia gentis,*
> *Per medias in equis itque reditque vias.*

Martial. lib. VII. Epigr. XXX:

> *Nec te Sarmatico transit Alanus equo.*

Et de Borysthene Adriani Cæsaris equo ante egimus. De Sarmatis Iazygibus Tacit. XII. Annal: *Ipsi manus propria pedites, eques è Sarmatis Iazygibus erat.* Item III. Hist: *Principes Sarmatarum Iazygum, penes quos ciuitatis regimen, in commilitium asciti: plebem quoque, & vim equitum, qua sola valent, offerebant.*

Cœterum Adagium; ὁ Σκύτης τὸν ἵππον, *Scytha equum*, Zenobius adducit, & in eos dictum ait, qui clam aliquid ambiunt, palam verò repudiant ac respuunt. Neque ferè aliter Diogenianus & Suidas; ad quos plura notauit vir infinitæ lectionis A. Schottus. Adrianus Iunius & in eos dici posse autumat, qui duplex vna & eadem ex re commodum captant. Ita enim de Scythis Clemens Alexandrinus: οἶκον αὐτάρκη, καὶ τῆς ἁμάξης εὐζωνότερον, τὸν ἵππον λαβὼν Σκύθης ἀνὴρ, ἀναβὰς φέρεται οἷ βούλεται. κάμνων δὲ ἄρα λιμῷ, αἰτεῖ τὸν ἵππον τροφάς. ὁ δὲ, ὑπέχει τὰς φλέβας. καὶ ὃ κέκτηται μόνον, τῷ κυρίῳ τὸ αἷμα χορηγεῖ. *Domum sufficientem, & plaustro agiliorem, equum scilicet acceptum conscendens Scytha, eum ducit quò vult. Fame autem laborans, petit ab equo alimentum: ille verò præbet venas, & quem solum possidet sanguinem domino suppeditat.* Ad hunc morem Scytharum Sarmatarumque & Martialis haud dubiè respicit, lib. de spectac. Epigr. III.

Venit & epoto Sarmata pastus equo;

Quamuis de lacte equino superius exposuerim cap. IX.

CAP. XVII.

Sarmatarum præcipua supellex, arma. Militiæ toti. Et Mars illorum Deus. Ensis cultus: Item ignis; cap. X. omissa. Sarmatarum tela & arma.

NOn omittenda sunt arma Sarmatarum, quia de cœteris egimus. Hæc, quod Cicero de Vrbis militibus, in onere non plus numerabant, quam humeros, lacertos, manus: hæc in bello necessaria, in pace decora sibi credebant. Nec mirum eos Martem coluisse, qui, referente Diodoro lib. V. armaturam fabricare, & milites telis instruere princeps instituit. Sed & ensem venerati

 sunt,

ſunt, cuſtodiam bonorum, interitum peccantium. Vidimus ſupra. Non tamen elabi nobis debet Iceſij locus apud Clem. Alex. Adhort. ad Gentes: Σκυθῶν δὲ οἱ Σαυρομάται, ὥς φησὶν Ἱκέσιος ἐν τῷ περὶ μυστηρίων, ἀκινάκην σέβουσιν. *Ex Scythis autem Sarmatæ, vt dicit Iceſius in De myſterijs, acinacem adorant.* Ignem ijs etiam fuiſſe ſacrum, ſupra dictum oportuit. Ex Nymphodoro recitat idem eruditiſſimus veteris Eccleſiæ doctor: τί μοι Σαυρομάτας καταλέγειν, οὓς Νυμφόδωρος, ἐν νομίμοις βαρβαρικοῖς, τὸ πῦρ σέβειν ἱστορεῖ; *Quid mihi opus eſt recenſere Sarmatas, quos refert Nymphodorus, in libro de legibus barbaricis, ignem colere?* Sed ad arma, vt primum quodque illorum nobis ſeſe obtulerit. De coryto, ſiue pharetra, arcu, ſagittis varij. Ouid. V. Triſt. El. VIII:

Sarmaticæ maior Geticæque frequentia gentis,
Per medias in equis itque reditque vias.
In quibus eſt nemo, qui non coryton, & arcum,
Telaque vipereo lurida felle gerat.

Et de Ponto lib. I. El. VI:

Moris an oblitus patrij contendere diſcam
Sarmaticos arcus, & trahar arte loci?

Martial. lib. VII. Epigr. II:

Inuia Sarmaticis domini lorica ſagittis.

Auctor Herculis Oetæi:

Non illum poterant figere cuſpides,
Non arcus Scythico tenſus arundine,
Non quæ tela gerit Sarmata frigidus.

Tacit. VI. Annal: *Sarmatæ omiſſo arcu, quo breuius valent.* M. Aur. Claudius Imp. epiſt. ad Regillianum apud Trebell: *Arcus Sarmaticos & duo ſaga ad me velim mittas.*

Pau-

Pauſan.lib.I: Sauromatas, cum ferri fodinas non habeant, neque ferrum alij ad eos importent, arcus corneos habere ait, & ſagittas vimineis ſpiculis munitas. Sed hoc de Fennis Tacitus; quos in Germanis annumerare mauult quam Sarmatis, lib. de morib. German: *Fennis mira feritas, fœda paupertas. non arma, non equi, non penates: victui herba, veſtitui pelles, cubile humus. Sola in ſagittis ſpes, quas inopia ferri oſſibus aſperant.* De arcu Alani Marius Victor epiſt. ad Salmonem Abbatem:

Nec nos Riphæi proſterneret arcus Alani.

Non verò in ſiniſtra ſolum tenere arcum Scythas, ſagittam dextra; ſed vtriſque ſimiliter ad vtrunque vti recenſet Plato VII. de legibus. Auerſis etiam equis Sauromatidas Sacidesque alias, inſtar virorum, iaculari Clemens ait lib. IV. Stromatum. Id & Parthis ſolenne. Ouidius:

Vt celer auerſis vtere Parthus equis.

Cœterum quod de telis vipereo felle luridis idem Ouidius ſupra dixit, alios etiam teſtes habet. Vnus tamen inſtar omnium Ariſtoteles ſit, qui de modo ſagittas veneno tingendi ita, libro de mirab. auſcult: *Scythicum venenum, quo ſagittæ inficiuntur, ex vipera parari aiunt. Obſeruant enim Scythæ parientes, & captas, mox diebus aliquot liquefaciunt; cumque ſatis computruiſſe videntur, infundunt ollulæ humanum ſanguinem, quam in ſterquilinio defoſſam cooperiunt. Ac vbi patridus iam is quoque apparet, liquorem ſupernatantem aquoſum miſcent cruore viperæ, præſensque & lethale hoc pacto venenum reddunt.*

Gladios habuiſſe, eoſque grauiores Tacitus ait I. Hiſtor: *Neque gladij, quos prælongos vtraque manu regunt, vſui.* At de cultris Ouid. V. Triſt. El. VIII:

Dextera non segnis stricto dare vulnera cultro,
Quem vinctum lateri barbarus omnis habet.

Per *cultrum* autem intelligendus fortè est gladius minus longus, quales κοπίδας Xenophon dicere solet, falcis formā ex parte referentes; & de quibus Curtius lib. VIII: *Copidas vocabant gladios leuiter curuatos, falcibus similes.*

De *hastis* Pausanias. Ælianus in Tacticis: μεγάλοις δόρασι μάχονται, ὡς Ἀλανοὶ καὶ Σαυρομάται. *Prælongis hastis pugnant, vt Alani & Sauromatæ. Contos* Latini nominant. Tacitus VI. Annal: *Sarmatæ omisso arcu, quo breuius valent, contis gladijsque ruerent.* Item, loco iam citato: *Neque conti neque gladij, quos prælongos vtraque manu regunt, vsui.* Silius Ital:

—— *pondera conti Sarmatici.* ——

Conti vsum etiam in arena & cum feris pugna fuisse alij iam notarunt. Lampridius in Commodo: *Virium ad conficiendas feras tantarum fuit, vt elephantum conto transfigeret.*

Cestum tribuit Stat. II. Achill:

—— *quo turbine cæstum*
Sauromates, falcemque Getes. ——

Quamuis cestuum in acie rem fuisse, haud sibi lectum dicat V.C. Justus Lipsius in Analectis ad libros de militia Romana. Erant verò cestus ex corio duro, plumbo & ferro insuto rigentes, adeò vt & pondus eorum & soliditas ictū ferientis grauiorem redderet. His manibus & brachijs circumcirca alligatis pugiles potissimum inter se decertasse non nego: cum tamen Amyco Bebryciorum Regi & Polluci Valerius Flaccus lib. IV. Argon. eos tribuat, ac Dareti & Entello V. Æn. quamuis inter ludos funebres, Virgilius, & grauissimum hoc etiam pugnæ genus fuisse videatur, an Silij versus emendandus sit, dubito.

De ce-

Et cestibus Sarmatas vsos, quis miretur? Etiam funes inter arma. Pausanias lib. I. καὶ σειρὰς περιβαλόντες τῶν πολεμίων ὁπόσοις καὶ τύχοιεν, τοὺς ἵππους ἀποστρέψαντες ἀνατρέπουσι τοὺς ἐνσχεθέντας ταῖς σειραῖς. *Et laqueos injicientes hostibus in quoscunque incidunt, equos deinde in diuersum flectentes, eos deijciunt & illaqueatos euertunt.* De Alanis Hegesippus lib. V. cap L: *Laqueos iacere, atque hostē innectere, ars Alanis bellandique mos est.* Hinc & Parthi quidam σειροφόροι, *restiferi,* dicti; vt Suidas in σειραῖς annotat. Clypeos Sidonius Apollin. nominat Carm. VII:

—— iunctus tibi vincitur illic
Cursu Herulus, Chunus iaculis, Francusqe natatu,
Sauromata clypeo, Salius pede, falce Gelonus.

Dissentit apertè Tacitus, lib. I. Hist: *Leui gladio inermem Sarmatam (neque enim defendi scuto mos est) comminùs fodiebat.* Id. lib. de morib. Germ: *Hi tamen inter Germanos potiùs referuntur; quia & domos figunt, & scuta gestant, & pedum vsu ac pernicitate gaudent: quæ omnia diuersa Sarmatis sunt.*

De thorace Pausanias lib. I. Neque aliter ferè Tacitus describit I. Histor: *Sed tum humido die, & soluto gelu, neque gladij, quos prælongos vtraque manu regunt, vsui, lapsantibus equis, & cataphractarum pondere (id principibus & nobilissimo cuique tegmen, ferreis laminis, aut præduro corio consertum; vt aduersus ictus impenetrabile, ita impetu hostium prouolutis inhabile ad resurgendum) simul altitudine, & mollitia niuis, hauriebantur.*

CAPVT XVIII.

Sarmatarum bella & negotia cum Romanis.

QVid negotij Romanis olim cum Sarmatis fuerit, quamuis alij dudum in literas miserint: nos tamen

men hinc inde nonnihil etiam colligemus, vt qui ſtipulam poſt aliorum meſſem. Ante translatum itaque in Cæſares imperium Sarmatæ neque amicitia neque odio Romanis nimium cogniti. Niſi quod de Appio Claudio Florus lib. III. cap. IV. *Appius in Sarmatas vſque peruenit.* Quare Imperatorum quorundam nomina ponere contenti, quid illorum vel memoria vel auſpicijs cum Sarmatis geſtum ſit, annotabimus.

D. AVGVSTVS. Florus lib. IV. cap. XII: *Sarmatæ patentibus campis inequitant: & hos per eundem Lentulum prohibere Danubio ſatis fuit. Nihil præter niues rarasque ſiluas habent. Tanta barbaries eſt, vt pacem non intelligant.* Iorn. de Regn. ſucceſſ: *Sarmatas quoque per eundem Lentulum vltra Danubium pepulit.* Idem Seneca innuit lib. de breuitate vitæ cap. V: *Dum alpes pacat, immixtosque mediæ paci & imperio hoſtes perdomat, dum vltra Rhenum, & Euphratem & Danubium terminos mouet.* Dion Caſſius in Aug. vita: ἔπειτα δὲ Λούκιος Γάϊος Σαυρομάτας ἐκ τῆς αὐτῆς αἰτίας κρατήσας, ὑπὲρ τὸν Ἴστρον ἀπεώσατο. *Poſt eum* (M. Lollium) *C. Lucius eadem de cauſſa contra Sauromatas bellum gerens, victos trans Iſtrum repulit.* Iterum Florus cap. eod: *Nam & Scythæ miſere legatos, & Sauromatæ, amicitiam petentes.* Si cum Scythis ſimul, apud Tarraconem Imperatorem ſalutarunt. Oroſius lib. V. cap. XXI: *Interea Cæſarem apud Tarraconem citerioris Hiſpaniæ vrbem legati Indorum & Scytharum toto orbe transmiſſo, tandem ibi inuenerunt.*

TIBERIVS. Hoc forſitan Imperatore TI. PLAVTIVS. SILVANVS. MOTVM. ORIENTEM SARMATAR COMPRESSIT; vt habet agri Tiburtini Inſcriptio. At alibi eum aduerſam ſatis pugnam, fuſo admodum

modum à Pannonijs exercitu, pugnasse Vell. Pater. lib. II. Hist. indicat.

CLAVDIVS. Hoc regnante Iazyges Sarmatæ Vannio, Regi Sueuis à Druso Cæsare imposito, auxiliares. Tacit. XII. Annal: *Ipsi (Vannio) manus propria pedites, equites è Sarmatis Iazygibus erat, impar multitudini hostium: eòque castellis sese defensare, bellumque ducere statuerat. Sed Iazyges obsidionis impatientes, & proximos per campos vagi, necessitudinem pugnæ attulere.*

OTHO. VITELLIVS. Tacit. I. Histor: *Conuersis ad ciuile bellum animis, externa sine cura habebantur. Eò audentiùs Rhoxolani, Sarmatica gens, priore hieme cæsis duabus cohortibus, magna spe ad Mœsiam irruperant; nouem millia equitum.* Quomodo victi, idem recenset.

DOMITIANVS. Sueton. in eius vita: *Expeditiones partim spontè suscepit, partim necessariò. Sponte in Cattos, necessariò vnam in Sarmatas, legione cum Legato simul cæsa.* Mox: *De Sarmatis lauream modò Capitolino Joui retulit.* Idem Eutropius narrat, & ex ipso Paulus Diaconus. Hinc Statius III. Silu. in Lachr. Hetrusci:

Hæc est quæ victis parcentia fœdera Cattis,
Quæque suum Dacis donat clementia montem;
Quæ modò Marcomanos post horrida bella, vagosque
Sauromatas Latio non est dignata triumpho.

Exhibet nummum Domitiani etiam Huberti Golzij Thesaurus Antiquitatis in quo SARMATIA.

TRAIANVS. Compressit Sarmatas opera Legati Prætorij Adriani, qui deinde Imperator. Ælius Spartian. in Adriani vita: *Legatus postea Prætorius, in Pannoniam inferiorem missus, Sarmatas compressit.* Eusebius ad A. C. CIII:

Traianus victo rege Decebalo Daciam fecit prouinciam : Iberos, Sauromatas, Osroenos, Arabas, Bosporanos, Colchos in fidem accepit. De fide Traiano à Sarmatis data coniecturam capere licet ex Plinij ad illum epist. XIII.XIV.XV.lib.X. vbi & Legati Sauromatæ regis mentio. Haud resigno quæ rex iste scripsit; de quo Epist. XIV: *Rex Sauromatæ scripsit mihi esse quædam quæ deberes quam maturissimè scire.* Decebali tamen finitimi Daciæ regis consilia & motus aduersus Imp. indicare potuit. Nuntiatum equidem Traiano fuisse, Decebalum, inita semel pace, multa tamen contra fœdus facere, arma comparare, transfugas recipere, arces instaurare, finitimas nationes per legatos sollicitare, Xiphilinus ex Dione annotauit. De victo autem expeditione Traiani altera Decebalo, Daciaque in prouinciam redacta, dicendum alibi. Apponere nunc libet venustam huius argumenti Inscriptionem, Warhelij Transsiluanorum in ruinis Zarmizægethusæ repertam. E Lazio, Leunclauio & Car. Clusij schedis repræsentat Gruterus:

FORTVNAE
AVG
OMNIPOTENT
VBI. ERAS
RHAMNV
SIA
VBI. ERAS
QVANTVM ABFVIT
NE. ROMA. LVGERET
SED. VIVIT. TRAIANVS
VE. TIBI. DECEBALE
MILSS. LEG. VI. ET. XIII. G
DEVOTIS CAPITIBVS

Sup-

Suppoſititiam non duco, ob genium vbi reperta eſt loci ac incolarum, à quibus circa literas elegantiores & eruditæ antiquitatis notitiam dolum malum abeſſe, ſatis credent, qui & illum cogitabunt, & iudicium ſuum conſulēt. Imitatus verò illam egregiè eſt magnus heros & inter tot belli togæque prægloriosiſſimas artes longè doctiſſimus JO. ZAMOSCIVS, titulo monumenti inuicti Regis STEPHANI:

VIVERES. STEPHANE. MAXIME. VIVERES.
NEC. POLONIA. VNGARIAQVE. AC
NOMEN. CHRISTIANVM. LVGERET
NEC. IMPII. BARBARI. GAVDERENT
SED. VIVIT. DEVS
HAVD. SOLIDO. EXVLTABVNT. GAVDIO

ADRIANVS. Æl. Spartian: *Nam deficientibus his nationibus quas Traianus ſubegerat, Mauri laceſſebant, Sarmatæ bella inferebant.* Poſt: *Audito dein tumultu Sarmatarum & Rhoxolanorum, præmiſſis exercitibus Mœſiam petijt. Martium Turbonem poſt Mauritaniæ præfecturam infulis ornatum, Pannoniæ Daciæque ad tempus præfecit. Cum rege Rhoxolanorum, qui de imminutis ſtipendijs querebatur, cognito negotio pacem compoſuit.*

M. ANTONINVS PHILOSOPHVS. Iul. Capitolin. in eius vita: *Gentes omnes ab Illyrici limite vſque Galliam conſpirauerant, vt Marcomanni, Nariſci, Hermunduri, & Quadi, Sueui, Sarmatæ, Latringes & Buri.* Dehinc: *Relicto ergò Sarmatico Marcomannicoque bello, contra Caſſium profectus eſt.* Eutropius lib. VIII: *Ingenti ergò labore & moderatione, cum apud Carnuntum iugi triennio perſeueraſſet, bellum Marcomannicum confecit; quod cum his Quadi, Vanduli, Sarmatæ,*

Sueui atque omnis barbaria commouerat. Euſebius ad A. C. CLXIX: *Romani contra Germanos, Marcomannos, Quados, Sarmatas, Dacos dimicant.* Et ad A.C. CLXXIIII: *Imp. Antoninus multis aduerſum ſe naſcentibus bellis ſæpe ipſe intererat, ſæpe duces nobiliſſimos deſtinabat, in quibus ſemet, Pertinaci, & exercitu, qui cum eo in Quadorum regione pugnabat, ſiti oppreſſo, pluuia diuinitus miſſa eſt: cum è contrario Germanos & Sarmatas fulmina perſequerentur, & plurimos eorum interficerent.* Inſcriptio vetus: *M. AVR. ANTONINO. AVG. GERM. SARM. PONT. MAX.* Auctor Græculus, Epiſtolæ Antonino adſcriptæ: Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ Μάρκος Αυρήλιος Αντωνῖνος Γερμανικὸς Παρθικὸς Σαρματικὸς.

COMMODVS. Hic paterni triumphi conſors. Euſebius: *Antoninus cum filio de hoſtibus triumphauit.* Romæ, in mole Adriani: *L. AELIO. AVRELIO. COMMODO. AVGVSTO. SARMATICO.* Et ſic alibi.

In expeditione verò contra Sarmatas & *AVIDIVS CASSIVS*, qui poſtea imperium affectauit. Vulcatius Gallicanus: *Cum exercitum duceret, & inſcio ipſo manus auxiliaria centurionibus ſuis autoribus, tria millia Sarmatarum negligentius agentium in Danubij ripis occidiſſent, & cum præda ingenti ad eum rediſſent, ſperantibus centurionibus præmium, quod per paruā manu tantum hoſtium, ſegnius agentibus tribunis & ignorantibus, occidiſſent, rapi eos iuſſit & in crucem tolli, ſeruilique ſupplicio affici, quod exemplum non extabat: dicens euenire potuiſſe vt eſſent inſidiæ, ac periret Romani imperij reuerentia.*

GORDIANVS. Titulus ſepulchri eius apud Iul. Capitolinum: *Diuo Gordiano Victori Perſarum, Victori Gothorum, Victori Sarmatarum, depulſori Romanarum ſeditionum, Victori Germanorum: ſed non Victori Philipporum.*

GAL-

GALLIENVS Eutrop. lib. IX: *Pannonia à Sarmatis Quadisque populata est.* Iornand. de regnor. success. *Quadi & Sarmatæ Pannonias inuaserunt.* Hoc vino & popinis vacante, *INGENVVS* à Mœsiacis legionibus Imperator dictus est. De quo Trebell. Pollio: *Neque in quoquam melius consultum Reipublicæ à militibus videbatur, quam quod instantibus Sarmatis creatus est Imperator, qui fessis rebus mederi sua virtute potuisset.* De *REGILLIANO*, qui & ipse Gallieni tempore ad Imperium prosilijt, idem Trebell: *Hic tamen multa fortiter contra Sarmatas gessit; sed autoribus Rhoxolanis consentientibusque militibus, & timore prouincialium, ne iterum Gallienus grauiora faceret, interemptus est.* Et de *CENSORINO*: *Extra ordinem quoque legatione Persica functus; etiam Sarmatica.*

AVRELIANVS. Fl. Vopiscus in eius vita: *Item Aurelianus contra Sueuos & Sarmatas ijsdem temporibus vehementissimè dimicauit, ac florentissimam victoriam retulit.*

CARVS. Fl. Vopiscus: *Ingenti apparatu, & totis viribus Probi profligato magna ex parte bello Sarmatico quod gerebat, contra Persas profectus.* Ibidem: *Bonum Principem Carum fuisse, cum multa indicant, tum illud etiam quod statim adeptus imperium, Sarmatas adeò morte Probi feroces, vt inuasuros se non solum Illyricum, sed Thracias quoque Italiamque minarentur, ita inter bella patiendo contudit, vt paucissimis diebus Pannonias securitate donauerit, occisis Sarmatarum sedecim millibus, captis diuersi sexus viginti millibus.* Pater bellum confecit, *CARINVS* Filius voluptatem victoriæ sibi vindicauit. Idem Vopiscus: *Memorabile maximè & Carini & Numeriani hoc habuit imperium, quòd ludos Romanos nouis ornatos spectatis dederunt.* Et post de Carino: (nam in eius vita hoc re-

censet: *Exhibuit & ludum Sarmaticum, quo dulcius nihil est.* Id captis á patre tot Sarmatarum millibus, è quorum numero hic quos visum est circo adhibuerit, & populo spectandos ostenderit, factum esse, minimè dubito. Ludus verò Sarmaticus, quo, iudice Vopisco, nihil dulcius, quis aut qualis fuerit, nemo non, vt opinor, mecum ignorat. Idem de se Salmasius fatetur; qui tamen de ludo desultorio suspicionem inijcit, cum Sarmatæ desultores equorū fuerint optimi. Vix quidem alios Ælianus intelligit in Tacticis, cap. XXXVII: τάττεται δὲ τὸ τοιοῦτον σχῆμα μάλιστα πρὸς τοὺς περὶ τὸν Ιστρον βαρβάρους, οὓς καὶ ἀμφίππους ἔλεγον, ὡς εἰθισμένους μεταβαίνειν ἀπὸ ἄλλων ἵππων εἰς ἄλλους. *Vsus huius formæ maximus est aduersus barbaros ad Istrum, quos & amphippos dixere, vt qui ab alijs equis in alios transilire assueti sint.* Et de Sarmatis Lucanus lib. III. veloces nominat:

Dij melius, quod non Latias Eous in oras
Nunc furor incubuit, nec iuncto Sarmata velox
Pannonio, Dacisque Getes admistus. —

Produxit postea Sarmatas in arenam, sed gladiatoriam, quoque Theodosius. Symmach. lib. X. epist. LXVIII: *Dudum fando acceperat P. R. cæsorum funera Sarmatarum. At nunc confirmata est nunciorum lætitia, spectaculo triumphali. Iam minores non sumus vetustatis exemplis. Vidimus quæ acta miramur, catenatum agmen vinctæ gentis induci, illosque iampridem truces vultus, misero pallore mutatos. Stetit arenæ medio subiecta voluptati, quæ fuit ante formidini, assueta armis gentilibus manus gladiatoria instrumenta tenuerunt.* Et desultores, qui binos equos habebant, & alternis modò hunc, modo illum ascendere soliti erant, ac de vno in alterum transibant, in circo exhibitos fuisse, idem Salmasius ostendit. Describit hunc lusum Manilius lib. V;

Nec non alterno desultor sidere dorso
Quadrupedum, & stabiles poterit desigere plantas
Per quos vadit equos. ——

Exhibet Ludos Sarmaticos VII. Cal. Decembr. Calendarium vetus, inter alia eiusmodi scripta nuper à V. C. Ægidio Bucherio è tenebris erutum.

DIOCLETIANVS. MAXIMIANVS. Eutrop. lib. IX: *Varia deinceps & simul & viritim bella gesserunt, Carpis & Basternis subactis, Sarmatis victis: quarum nationum ingentes captiuorum copias in Romanis finibus locauerunt.*

CONSTANTINVS MAGNVS. De huius expeditione aduersus Sarmatas, qui rege ac duce Rausimodo Istrum traiecerant, Zosimus lib. II. Vide & Niceph. Callistum. Calendar. vetus Bucherij VIII. Cal. Augusti: *Nat. Diui Constantini.* VI. Cal. Aug: *Vict. Sarmaticas.*

CONSTANTIVS. Eum Quadorum Sarmatorumque motus sedasse Zosim. lib. III. narrat. Idem, sed cum exprobratione, quasi minus Imperator ad Istrum, quã ipse in Gallia, cum hostibus negotij habuisset, Iulianus recenset epist. ad S. P. Q. Atheniensem.

GRATIANVS. Auson. Paneg: *Voca Germanicum deditione gentilium: Alemannicum traductione captorum: vincendo & ignoscendo Sarmaticum.*

VALENTINIANVS. Hoc Imperatore Sarmatæ & Quadi Pannoniam & Mœsias inuasere, auctore Zosimo lib. IV. Et loquitur de illorum in prouincias Romanas irruptione illius æui sanctus scriptor Marius Victor Epist. ad Salmonem Abbatem:

Et tamen, heu! si quid vastauit Sarmata, si quid
Vandalus incendit, veloxque abduxit Alanus,

Ambi-

Ambiguis spebus licet & conatibus ægris,
Conamur quandam in speciem reparare priorem.

Valentiniani tamen victorias de Sarmatis Latinus Pacatus deprædicat, Paneg. Theodosio Aug. Valentiniani F. dicto: *Quæ Rhenus aut Vahalis vidit, aggrediar? iam se mihi Sarmatica cæde sanguineus Ister objiciet.*

THEODOSIVS. Idem Pacatus: *Vix tecta Hispana successeras; iam Sarmaticis tabernaculis tegebaris.* Sed laborant historiæ; ad Poëtas & Oratores veniendum fuit. Neque iam Sarmatæ finibus suis continebantur, mixti rerum non amplius dominis gentique togatæ. Ecce ad Mosellæ illis Rhenique tractus tempore Ausonij colonia:

Prætereò arentem sitientibus vndique terris
Dumnissum, riguasque perenni fonte Tabernas,
Aruaque Sauromatum nuper metata colonis.

Itaque finis hic & modus harum conquisitionum esto; cum ad historiam ne magnus quidem labor sufficiat, ad propositum verò nostrum tantillus etiam nimius esse videatur.

CAPVT XIX.

Sarmatæ Christiani.

QVando loca Ponto vicina & insessæ Sarmatis regiones sacris Christianis nomen primùm dederint, quos processus Ecclesia his locis habuerit, quas vices fuerit experta, dudum alij. Et tot Reuerendissimi Nominis Antistites, tot lumina sanctiorum Ordinum, tot eruditos Sacerdotes hæc regna, hæ regiones possident, vt neque externus antehac aliena, neque alijs negotijs deditus artes Professionis non meæ inuolare aut si possim, debeam rite; aut si debeam, satis possim. Quin & ea me spes bona

bona habet, si qua Ecclesiasticæ Antiquitatis, vnà cum aliijs ad historiam aut literarum nitorem pertinentibus, monumenta inter abdita monasteriorum & bibliothecas publicas priuatasque delitescunt, ea etiã occasione ista tranquillitatis publicæ, beneficio diuini Numinis, inuidenda Regis Augustissimi felicitate, virtute Procerum ac sapientia partæ, claustra bono omnium seriùs ociùs ruptura. Id solùm dico, religionem Christianam Sarmatarum decus & gloriam sub ipsa nascentis Ecclesiæ Christianæ incunabula statim fuisse. Ponti accolæ inter cæteros etiam, teste Luca, mirabilia Dei opera contemplabantur, cum Spiritus Sanctus sedibus æthereis illapsus ea doceret Apostolos, de quibus omnes docendi eramus. His legationes sacrosanctas, ad diuulgandum in toto orbe terrarum Euangelium, obeuntibus, S. Petrus, cuius & Epistola inter alios ad Ponti aduenas est, præter alias prouincias, etiam Pontum; S. Andreas Scythiam sortitus est, Eusebio lib. III. cap. I. teste. Hunc omne Ponti Euxini latus accessisse, ex Nicephoro scimus.

In Bithynia Pontoque quas vires religio tempore Traiani ceperit, Plini9 Proconsul eò missus, lib. X. epist. XCVII. indicat: *Multi enim*, inquit, *omnis ætatis, omnis ordinis, vtriusque sexus etiam vocantur in periculum, & vocabuntur. Neque enim ciuitates tantum, sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio peruagata est.*

De Sarmatis lib. adu. Judæos Tertullianus disertè: *Romani & incolæ, tunc & in Hierusalem Judæi, & cæteræ gentes: vt iam Getulorum varietates, & Maurorum multi fines, Hispaniarum omnes termini, & Galliarum diuersæ nationes, & Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo vero subdita; & Sarmata-*

mata-

matarum, & Dacorum, & Germanorum, & Scytharum, & abditarum multarum gentium, & prouinciarum & insularum multarum nobis ignotarum, & quæ enumerare minus possumus. In quibus omnibus locis Christi nomen, qui iam venit, regnat. Theodoretus Serm. VIII: *Postquam verò ad illum se receperunt* (Apostoli) *à quo destinati olim missique fuerant, omnes illis populi cunctæque nationes continuè perfruuntur: neque solum Romani, quique sub Romanorum iugo lubentes agunt & gubernantur; sed Persæ quoque, Scythæ, Massagetæ, Sauromatæ, Indi, Æthiopes, vtque semel dicatur, omnes habitabilis terræ fines.* Idem Serm. IX: *Neque solum Romanos, quique sub Romano viuunt imperio, sed Scythas quoque ac Sauromatas, Indos præterea, Æthiopas, Persas, Seras, Hyrcanos, Britannos, Cimmerios & Germanos, vtque semel dicatur, omne hominum genus, nationesque omnes induxerunt Crucifixi leges accipere; non armis vsi, non infinita vi militum delectorum, non immanitatis Persicæ violentia; sed verborum suasu, ostensa legum quas prædicabant vtilitate.* Prudentius pientissimus ac eruditissimus Auctor in Apotheosi:

Laxauit Scythicas verbo penetrante ruinas
Vox euangelica, Hircanas quoque feruida brumas
Soluit, vt exutus glacie iam mollior amnis
Caucasea de cote fluat Rhodopeius Hebrus.
Mansueuere Getæ, feritasque cruenta Geloni
Lacte mero sitiens exanguia pocula miscet,
Libatura sacros Christi de sanguine potus.

Paulinus Propemptico Daciæ Episcopi Nicetæ:

Te patrem dicit plaga tota Boreæ,
Ad tuos fasces Scytha mitigatur,
Et sui discors fera te magistro
Pectora ponit.

De

De miſſis à Joh. Chryſoſtomo ad Iſtri accolas Triballos, Scythas aliasque gentes verbi diuini præconibus Philotheus & Nicephorus Calliſtus.

A patria verò & gente nomen traxiſſe pium Anachoretam Sarmatam, B. Antonij diſcipulum, vix dubito. De eo D. Hieronymus in Chron. A. D. CCCLXI: *Sarmata, Amata, & Macarius diſcipuli Antonij inſignes habentur.* Et anno ſequenti: *Saraceni, monaſterium B. Antonij irruentes, Sarmatam interficiunt.* Quæ loca notauit Eminentiſſimus Baronius ad martyrologij Romani V. Eid. VIII. BR. hæc verba: *In Thebaide Sancti Sarmatæ diſcipuli B. Antonij Abbatis, qui à Saracenis pro Chriſto necatus eſt.* De hoc & Sidon. Apollinar. carm. XVI:

Nunc Or, nunc Ammon, nunc Sarmata, nunc Hilarion,
Nunc vocat in tunica nudus te Antonius illa
Quam fecit palmæ folijs manus alma magiſtri.

De Bogomilis ne quid adjiciam, prauum eorum dogma facit, de quo Harmenopulus. Agnoſce tamen apud hunc nomen hodierno ſermoni congruum: ἔιη δ' ἂν Βογόμιλος κατὰ τὴν τῶν Μυσῶν γλῶτταν, ὁ τοῦ Θεοῦ τὸν ἔλεον ἐπισπώμενος. *Significat autem Bogomilus, iuxta Myſorum linguam, Dei miſericordiam implorans.*

Recentiora non tango: in iſta verò cum inciderim, dum Sarmatica alia quærerem, omittenda non duxi.

CAPVT. XX.

M. Ant. Mureti, Hug. Grotij, M. Opitij Epigrammata in Nomiſma aureum Zamoſcianum.

HActenus vetera. Sed qui præterita ſaltem æſtimat, malè judicat de præſentibus. Finiendus equidem

quidem libellus videtur summi Viri Ioh. Zamoscij Encomio (Potentissimi Regis Stephani Muretus simul adiunxit) qui Sarmatiam suam viuus meritis ac virtute, ad meliora sublatus Orbem vniuersum memoria sui splendidissima impleuit. Sed & merentur Carmina celeberrimorum virorum, quorum alter seculum hoc dotibus animi & doctrinæ maximis adhuc illustrat, vt vbiuis, nedum hic, legantur, vbi illis inter Sarmatica cætera sedes quasi propria & locus est. Ego verò quod purpuræ huic pannum meum assuere ausus sum, affectatione saltem pietatis & grati animi studio veniam merebor.

M. ANTONII MVRETI

Νομισματογραφία.

Bina mihi artifici cælata Numismata dextra,
Magnus ab Arctoo misit Zamoscius Orbe,
Aurea, non vani memorabile pignus amoris,
Sæpe meo optatos animo referentia vultus:
Magnanimi primum Regis, quo Martia gaudet,
Quoq; caput Cælo ductore Polonia tollit.
Aspicis vt latè veneranda coruscat imago,
Cunctaque diffuso circum loca lumine complet?
Non ea vis auro; nec per se lamina lucet,
Nec radiat rutili natiua luce metalli:
Maius ab impressa sed ducit imagine fulgur,
Atque ipsum Stephani sacer aurum vultus inaurat.
Contemplare acresque oculos, frontemque verendam
Et dignam Imperio faciem, dignamq; triumphis.
Vt sese omni ex parte animi vis viuida profert,
Degenerem luxum, mollesque exosa paratus!
Vt spirat generosum, ipsoque videtur in auro,

Regales agitans imo sub pectore curas,
Exitium Turcis meditari, & vincula Moscho!
Hic vir, hic est natus virtuti & fortibus ausis:
Cui duo tota pares alios si Europa tulisset,
Thracius haud vltra nobis illuderet hostis,
Sed profugus toto latebras sibi quæreret Orbe.
Altera lamna loco pariter mihi grata secundo,
Subijcit ante oculos authorem muneris ipsum,
Cuius conueniens meritis imponere nomen
Qui velit, inuicti Regis vocitarit Achatem.
Hinc te igitur, (tua mî propius quando ora tueri
Non licuit: cupidumque isthæc inuisere regna,
Pontificis tenuit non detrectanda potestas)
ZAMOSCI *magne aspiciam, & persæpe nitenti*
In te defixam solabor imagine mentem:
Zamosci, per quem Marti sociatus Apollo est,
Qui decora Heroum accumulans, & Nestora dulci
Eloquio exæquas: & forti pectore Achillem:
Et leges armis firmans, & legibus arma,
Victricem Laurum pacatæ intexis Oliuæ.
Arbiter idem almæ pacis, bellique minister
Impauidus; laus egregij propria vtraque ciuis.
Saluete ô animæ fortes, incoctaque honesto
Pectora, & ignauo non peruia corda timori.
Vos ego, quantum æuidabitur, super ardua cantu
Astra feram, numquam reticens vestra inclyta facta,
Facta, alijs queis nomen idem, sed non eadem est mens,
Aut animos factura, aut incussura pudorem.

HVGONIS GROTII

In

EFFIGIEM ILLVSTRISSIMI IOH. ZAMOSCII MAGNI POL. CANCELLARII, in auro expreſſam & à Ioſ. Scaligero legatam.

PRima diu patriæ tutela, decusque, ZAMOSCI,
Ex æquo geminæ Palladis arte potens,
Sic oculos, ſic tu frontem, ſic ora ferebas,
Cum pacatus eras, vt puto, talis eras.
Non hunc aſpicio Liuonum quem ſæua timebant
Agmina, præcipiti quem Scytha fugit equo.
Sed duce qui poſito Romam, qui Cecropis vrbem
Auſus es in media ponere Sarmatia.
Talis Scaligero voluiſti nempe videri,
Qualem te Muſis, Scaligeroque dabas.

IN EANDEM.

MAteries aurum eſt, ductoris imago ZAMOSCI,
Scaligero donum qui dedit, ille mihi.

MART. OPITII.

HÆc eſt ZAMOSCI facies: cum libera iura
Aſſereret patriæ, non ſibi, talis erat.
Quod ſi, ceu meritis viuit, vixiſſet & annis,
Æternas traheret ſalua ſenecta moras.
Nunc cum ſancta negent hoc rerum fata, renaſci
In nato melius debuit ille ſuo.

AD

AD ILLVSTRISSIMVM HEROA THOMAM ZAMOSCIVM Ejuſdem.

Digne viro fili, qui te niſi prole beaſſet
Se patriamque, parem non habiturus erat,
Tu quoque me donas genitoris imagine, quondam
Qua ſe Muretis Scaligerisque dabat?
Sic Phœbus terræ licet edita luſtret & arces,
Alma tamen paruis non negat ora caſis.
Agnoſco rarum, quo me dignaris, amorem;
Pectoris indicium nobile munus habet.
Materies aurum eſt, facies generoſior auro,
Sed pretium à pretio dantis vtrumque capit.
Lamna minor facie, facies exſanguis; at in te
Spirantem ſentit patria tota patrem.
Sentiat, & felix; tu ſoſpes congrua magni
Viue patris meritis tempora, viue tuis.

FINIS.

INDEX SCRIPTORVM qui in hoc libro laudantur, illustrantur, emendantur.

(Indiculum rerum tituli capitum ferè complectuntur.)

Clau-

Wolf.

Erratis, si quæ sunt (& in Præfat. fac. 5. lin. 10. dele alterum, eorum. *Pag.* 13. *l.* 27. Venedæ. *P.* 15. *l.* 22: *DACIAE. P.* 21. *l.* 15: de qua. *P.* 29. *l.* 9: Oestrumnidum *& talia, præter accentus Græcorum vocabulorum & interpunctiones nonnullas, deprauata esse, vix aspiciens libellum deprehendo) vt ignoscas, Amice Lector, eaque per te emendes rogo.*

FINIS.



